GROTIUS (Hugo) SILVARUM LIBRI TRES (4540 vers)

> Le texte qui a servi de base à cette édition est celui des *Poemata omnia* publié à Amsterdam, en 1639, chez Johannes Ravesteynium.

# HUGONIS GROTII SILVARUM LIBRI TRES

## LIBER I.

### IN QUO SACRA HISTORIA IONAE PARAPHRASTICO CARMINE.

S1_01

Tempore quo cunctas prae se contempserat urbes
fortuna famulante Ninos, partaeque rapinae
divitiae luxu contra certante furebant,
Ipse pater, vindex scelerum, sed lentus ad iram,
his Amithaoniden dictis affatur Ionam,
os cui veridicum dederat, mentemque capacem
fatorum, et positum longe spectare futurum.
I citus Assyrii tumidam rectoris ad aulam,
et quae vasta rapax defendit moenia Tigris,
immersum vitiis populum clamoribus urge,
cujus sancta mihi dudum versantur ob ora,
et poenam commissa petunt, scelerumque nefanda
implevit terras, nunc scandit ad aethera moles.
Haec refer, atque minas verbis et jurgia misce.
At miser, heu, sperans complentem numine cuncta
effugisse Deum, (nec enim mandata placebant)
ad Cilicum terras vicinaque littora Tauro
funestum molitur iter. Jacet incluta portu,
summa Palaestinae tellus ubi desinit orae,
urbs vetus, Andromedes quae vincula jactat Ioppe.
Huc male sanus abit vates, et forte carinam
invenit ad liquidi properantem flumina Cydni.
Addit se nautis comitem, pretioque soluto,
hospitium capit infelix, et numinis almi
desertor fragili mavult se credere ligno.
Principio faciles aurae, sperataque Tarsos
non procul. At subito fatalis inhorruit aer,

pontum omnem turbante Deo. Sonuere procellae,
et fudere novum nubes mare nec super ullum
discrimen rebus : caelum nox una salumque
miscuit, ereptam reparabant fulmina lucem.
Nec temere insani perdunt sua murmura venti :
circum vela fremunt, et se jacit omnis in unam
tempestas collecta ratem. Jamque hiscere credas
compagem fractamque trahi sub fluctibus alnum.
At trepidi nautae et pallentes morte futura,
(heu gens indocilis veri, fictaque parentum
relligione nocens) partiti numina votis
inclamant gemitu frustra, precibusque fatigant
quos homines fecere Deos : hic Belon, at ille
Astarten, squammisque insignem corpora multis
Dercetin ; at patrios alii, nunc sidera, reges,
Iasiden, totamque domum, generumque volucrem
horrida gestantem Phorcynidos ora Medusae :
atque hunc pracipue, dotali ut sede profectos
incolumes det posse suam contingere Tarsum,
Tarsum pennigerae referentem nomina plantae,
quin etiam merces, auri spes una parandi,
cujus amor tantos docuit perferre labores,
jactantur pelago, navem ne verteret omnem
accedens ventis onus, et demitteret alto.
Ille autem interea tantorum causa malorum
ima puppe jacens somnum capiebat Ionas :
seu pavor abstulerat sensus, nec corporis aegri
illa quies, sed torpor erat, seu talis imago.
Hoc agitante Deo, sua magna oblivia vati
objecit, pressumque animum graviore veterno.
Non tulit hoc rector trepidae ratis, et, "Tibi, dixit,
nunc unde iste sopor ? Quin nosti tu quoque si quem,
i, supplex venerare Deum, rituque parentum
sollicita, si forte aliis clementior ille
respiciat miseros et fata instantia vertat."
Nec dubitant nautae, caeli quod suscitet iras
esse caput secum, culpamque unius in omnes
ferre necem. "Motis quin ergo quaerimus urnis,
exclamant omnes, quem poenae fata reposcant ?
Quis nunc praecipiti volvi putet omnia casu,
ac non lege data ?" Certum sors missa peregit
arbitrium, vereque reum damnavit Ionam,
et vates de vate fuit. Tum quaerere nautae :
Quis genus, unde domo, cur et quibus adsit ab oris,
quod vitae sectetur iter, quo crimine sontem
incusent superi, quae tantae causa procellae ?
Sic illi instabant. Sic contra Amythaone natus
gens Hebraea mihi. Studium fuit (atque fuisset
o utinam semper) rerum servire parenti,
qui caelum movet et caeli stellantia signa,
cujus opus terra est, pontique haec mobilis unda.
Obstupuere viri, majusque per ima cucurrit
ossa gelu. Subigunt sontem delicta fateri,
spretaque magna Dei mandata, fugamque rebellem.
Tum quid opus facto rogitant, quave arte parandum,
sideret ut tumidis insensum fluctibus aequor,

crescentesque minae. Cum jam nihil ille precatus,
tollite me me, inquit, quem vestris fata periclis,
quem toto petiere mari, me mergite ponto :
jam pacatus erit ; merui, nec ferre recuso,
exsolvam insontes, et navem morte piabo.
Certavere quidem connixi remige multo
eluctari undas proramque advertere terris.
Nequicquam : longe littus fugit, undaque contra
insurgens nullam patitur sperare salutem.
"Cessit turba malis, tuque, o justissime, dixit,
parce Deus nobis hanc velle adscribere caedem
praedamnatae animae, nec leto ulciscere letum
nil male de nobis illum meruisse fatemur :
nec nocet ira viro, nec habendi caeca cupido,
sed motae non sponte manus, tibi reddimus illum
quem repetis, cogit tua nos invicta voluntas."
Talia vix fati, summa de puppe volutum
praecipitant. Simul ille cadit, simul omnia caelo
nubila diffugiunt, positis quoque fluctibus unda
detumet, et lenes veniunt ad suppara venti.
Perculit attonitos divina potentia nautas,
atque ejurato falsorum horrore Deorum
supplicibus votis aeternum numen adorant :
hunc et muneribus placant et sanguine fuso.
Interea fulcans immani corpore pontum
bellua missa Deo vivum deprendit Ionam
fluctibus in mediis, et vasto sorbet hiatu.
Ille in visceribus monstri (mirabile dictu)
illaesus manet et pelago novus incola fertur.
Sentit et incumbens capiti mare, sentit et aequor
impelli tranante fera. Quis credere possit
captivam tantis animam durasse sub undis ?
Duravit tamen, et tam dira sede morantem
tres interpositis soles videre tenebris.
Hoc tunc navigium misero carcerque domusque,
hoc templum fuit ; hinc calidas effudit ab imo
corde preces, cecinitque haec tristia carmina vates.
"Quamquam terrificis me fata ultricia monstris
exagitant, vitamque traho vix anxius ultra,
spes tamen est has me interea non perdere voces :
hinc etiam caelo dabitur via. Piscis in alvo
conditus, infami tumulatus membra sepulchro,
verba loquor supra nubes et sidera supra.
Exaudita Deo. Tu me his, rex magne, nocentem
mersisti tenebris, tibi me premit alta vorago,
undaeque fluctusque tui, mixtique profundo
gurgite longinquis procul e regionibus amnes.
Et merui ereptus superis amittere lucem
aspectusque tuos. Tamen haec fiducia maestum
solatur, fore, me Solymas ut sistat ad aras
laeta dies, festosque adytis instauret honores.
En tot aquae circum, rapidisque intorta fluenta
vorticibus : tum multa caput circumplicat alga.
Vix spirare datur. Tellus super urget acutis
haerentem scopulis, et duris vectibus obstat.
Quin etiam aequoreae redituro in saecula rupes

praelusere viam. Tu spes super unica restas
o Deus, e mediis animam tu faucibus Orci
eripies, reddesque diem. Cum perdita sese
quaereret, in mortis regno cum vita jaceret,
dulce fuit meminisse tui. Caelestia templa
perrupere preces felixque audacia voti.
Vos nunc ite, quibus pietas errore profano
circumventa perit, quorum sibi quisque figurat
sponte metum, et mendax in vanum cura laborat,
seque bonis spoliat contempto auctore bonorum.
Me juvet aeterno grates persolvere regi,
votivumque adolere sacris altaribus ignem :
ille pater bonus, ille hominum tutela, salusque."
Talia dicentem toto vehit aequore pistrix :
ac tandem undisono multum spatiata profundo
littora summa legit, propiusque adnavigat orae.
Hic sese immenso patefecit bellua rictu,
numinis imperio, magnisque exercita fatis,
ejectumque virum vastae penetralibus alvi
imposuit terrae. Tum sic bonus arbiter orbis
edoctum sua jussa pati compellat Ionam.
I propere, celsasque Nini pete nuntius arces,
et mea fer totam late mandata per urbem.
Ille iter accelerans pracepto paret herili,
Assyriasque domos spatiosaque moenia tangit.
Quae non ante citis circum sit passibus ire,
quam ter Sol oriens ter merserit aequore currus,
jamque emensus erat quantum via siverat urbis
lucis ab exortu supremam ad vesperis horam.
Tristia perculsas referens oracula ad aures.
Intra bis decies geminatae tempora lucis
corruet excidio Ninos, et disjecta jacebit.
Submisere Deo trepidantia pectora cives,
responsoque habuere fidem. Tum triste celebrant
justitium, nulloque sibi discrimine cuncti
indixere famem : nec sueto gaudet amictu
turba, sed hirsutis indurat corpora velis.
Ipse Nini dominus, quem circum mille tuentur
excubiae, cui tot pendunt famulare tributum
ignotae gentes, cujus victricia signa
terrarum pars tanta timet, simul horridus aures
nuntius impulerat, solio descendit avito,
unde triumphatis Asiae regnator opimae
jura dabat populis, trabeaque exutus et auro
Cinyphiis praefert horrentia tegmina setis,
et tellure sedens inspergit pulvere membra.
Adjicit exemplo legem, procerumque vocato
concilio jubet haec populis mandata referri.
"Ducite turba Nini longo jejunia luctu.
Ipsa etiam maesta in stabulis armenta dolores
testentur nostros, et equorum bellica proles,
balantumque greges. Non ulla aut graminis herbam
attingat quadrupes, aut fluminis hauriat undam :
dura sed in nudo sedeant velamina tergo.
Idem homines, idem pecudes exaequet amictus.
Inclamate Deum findentibus aethera votis ;

sed simul exactae damnantes crimina vitae
et longas scelerum furias, insistite rectae
mentis iter, foedaque manus purgate rapina.
Quis scit an avertat nobis quod triste minatur
exitium Deus, et posita deferveat ira."
Spem probat eventus. Peccati paenitet urbem,
suppliciique Deum. Vidit namque omnia facta
Omnipotens, vidit pertaesas crimina mentes,
nec jam sustinuit decretas sumere poenas.
Sed non tam clemens animi indignatur Ionas
stare Ninum, cupiens immensis cladibus emptum
esse ratas, diro tulerat quas carmine voces.
Ergo bile tumens et amaro percitus aestu
'Hoc erat, exclamat, tua cor mandata subire
defugerem, hoc patria mecum tellure loquebar,
hoc et Coryciae peterem cum littora terrae.
Noram ego quam clemens et quam placabilis esses,
quam veniae largus, facilisque ignoscere lapsis,
protinus et culpas precibus donare priores,
non odii retinens, omni sed suetus ab aevo
humanos placida miserari mente labores.
Nunc quando Assyriae visum tibi parcere genti,
in me verte minas : atque hanc, precor, eripe vitam,
quam vix aeger ago, qua mors mihi laetior ipsa est.'
At pater omnipotens : "Quin hoc te expendere, dixit,
aequius, an justo temet maerore fatiges,
et tibi qua causa tanto cor fluctuet aestu."
Exiit invisam proles Amythaonis urbem,
nec procul a muro, qua Titan parte reducit
matutinus equos, parvo sibi culmine tectum
exstruit, exspectans, urbem quae fata manerent.
Hic sedet, hic umbras et frigora captat opaca.
Nam Deus hac ipsa stirpem regione locarat,
quam cici dixerunt Eoo nomine gentes.
Haec amplexa casam, sinuosaque brachia late
protendens, rapidos arcebat frondibus ignes,
dulcia turbato praestans solacia vati.
Postera sed cum se roseis aurora quadrigis
tolleret, exiguo succedens corpore serpens,
sponte Dei, certo radicem vulnere laedit,
vitalesque trahi succos vetat : illa recisis
procumbit foliis demisso languida collo.
Interea primo procedens Phoebus ab ortu
igne coquit terras : Phoebo Deus addidit Eurum
omnia pestiferae torrentem flatibus aurae.
Atque ea flamma poli nudo dum vertice vatem
urit anhelantem, fracta vi corporis omni,
marcidus extremam sibi quaestibus advocat horam.
"Et, quid adhuc, clamat, quid adhuc miser ille moratur
spiritus ? Invideo fatali sorte peremptis.
Pontus ubi ? Mala cur toties in tanta reservor ?
Tum rogat omnipotens, merita num percitus ira
aestuet, ereptam repetens clamoribus umbram."
Ille refert, magnis incendi pectora causis,
et, si vota juvent, votis accersere mortem.
Tum pater : "Usque adeo vili pro caudice pugnas ?

Huic parci fas grande putas, quem non tua sevit
dextera, non olim sumpti coluere labores,
quem genitum nox una dedit, nox abstulit una ?
Tu florem Assyriae, tu plenam gentibus urbem
me servare vetas ? Si non te armenta movebant
pro frutice iratum, (mihi sunt tamen haec quoque cordi)
an nihil et decies hominum bissena putabas
millia, materno pendentes ubere natos,
aut modo desertis reptantes denique cunis,
indociles, dextram quod iter, quae semita laevo
calle ferat, pravique et honesti noscere fines ?"
Conticuit vates jam se quoque judice victus,
et sua mansuris commisit crimina chartis.
Hoc monitore, Dei sanctos audire vocatus,
quisque es, et lapsus non desperare memento :
utque feras veniam veniae placabilis esto
tu quoque, nec vitiis succense longius aequo.
Fer casus durosque animo constante labores.
Crede revicturos artus, morituraque mortis
imperia." Hoc superis iterum donatus Ionas
monstrat enim, Christi tumulo redeuntis imago.

## AD CHRISTUM.

S1_02

Christe, caput rerum, vitae melioris origo,
immensi mensura Patris, quem mente suprema
miratus sese Genitor de lumine lumen
fundit, et aequali se spectat imagine totum,
cujus ad exemplum Mundus, tutelaque Mundi
factus homo : sed enim ferus hic et sponte rebellis
perdiderat sublime decus, pressusque jacebat,
criminibus, poenaeque reus ; semperque jaceret,
ni Pater aeterno gentem miseratus amore
te prius arcana secum sub luce latentem
donasset populis, non jam per somnia verum
prodere, non vatum commotis mentibus uti,
sed vivam terris cupiens ostendere legem,
foedus et immotum tanto sponsore pacisci.
Humanos igitur vultus, mortale subisti
corpus, et hos artus : sed non te foeda voluptas
progenuit, castae sed virginis edidit alvus
caelesti virtute satum. Si purpura non te
excepit de matre novum, si spicula nulla,
nullus eques, nullae puerum cinxere cohortes :
at genus aetherium cives stellantis Olympi
non desunt illic, aulaque augustius omni
excubiis praesepe tuum, cantuque celebrant.
Stant pecudes circum, stat circum innoxia turba
pastorum. Pauper, sed rege beatior omni,
cui te nosse datum. Terris novus advena caelo
monstrabare tuo. Sidus non ante notatum
expavere magi : quis tantus nascitur, aiunt,
in cujus laudes nova sidera parturit aether ?
Signiferi cedant ignes, et credita septem
perpetuas miscere vices vaga sidera : cedat.

Dux Helice Graiis, Tyriis Cynosura carinis.
Per varios rerum fluctus, incertaque vitae
haec dat stella viam, quae non Babylona superbam
regibus Arsacidis, validas non Tibridis arces,
non Solymae turres, sed pastoralia signat
limina, Bethlemique casas. Ne quaerite regem,
Judaei, lituos inter strepitusque tubarum,
quaeque humana sibi rabies circumdedit arma.
Nescitis, miseri, quam sit res proxima caelo
paupertas, quam dulce pati. Vos dicite Parthis,
dicite Romanis, Herodi dicite vestro ;
det caeco spectare diem, det currere claudo,
det surdis audire sonos, det reddere mutis,
Tartareas pellat pestes, morbosque tenaces
non herbis, sed voce fuget : freta mota tacere
imperet, et fluctus : modica dape millia pascat,
seque diu nulla, jubeat remeare sepultos,
vino mutet aquas, siccusque perambulet aequor.
Haec faciant quos gemma tegit, quos classica cingunt ;
haec pauper meus ille potest. Nec corpora tantum
ille, sed et mentes obsessaque pectora purgat.
Foedaque corruptis adimit contagia saeclis,
verum ingressus iter, cum nec diffidere lapsos,
nec stantes turgere sinit. Quis in aethere motus,
quive labor rerum, dum tot cumulata bonorum
congerie, tibi supplicium crudele reponit,
non Scytha, non Nomades, non dura civis ab Arcto,
sed soboles Abrae cunctis e gentibus una
gens delecta tibi ? Tantum valet atra malorum
ambitio, quoties odiis accensa superbis
sub ficta pietate fuit. Nec simplice fato,
latronum sed morte peris, tu purus et insons,
ut nostras poenas et crimina nostra subires.
Quicquid ad hoc aevum prima peccatur ab hora,
Adamus vetita cum carpsit ab arbore pomum,
cunctorum te facta premunt. Nos illa manebant,
vincula, nos ictus, actaeque in tempora sentes,
nos trahere in poenam lictor, nos figere clavi
debuerant, nostrisque cruces insurgere membris,
et mortis differre moras. Patris ista voluntas,
et tua : sic placuit facilem miscere severo.

## EUCHARISTIA.

S1_03

Mystici secreta ritus, prisca relligio sacri,
coetibusque sancta semper Christianis Orgia,
addo me vobis epopten, totque post suspiria
perfruor desiderato candidatus gaudio.
Munus agnosco tabellis, Christe, legatum tuis :
proximum pergentis ire mortis ad periculum.
Hae dapes sunt funerales, hoc sacrum Propter- iam,
cena jam mori parantis, inque procinctu data.
Ipse tu, quamquam supremo tristis in convivio,
ipse panem dividebas, ipse libabas merum,
et salutis liberali porrigebas dextera.

Hic, ais, sanguis, sodales ; hoc, ais, corpus meum ;
corpus hoc vobis jacebit, sanguis hic vobis fluet,
hic bibendus, hoc edendum, grande mnemosynum Dei.
Ergo cum caelestis aula me procul raptum sibi
non sinet coram tueri, panis et vinum mei
semper erga vos amoris esto testimonium.
Hac ero praesens sub arrha ; nec citatus pignore
destitutos vos relinquam, nec chaos nos dividet
illud immensum, quod alto dividit terras polo.
Ritui sic indicato Principis jussum sui
persequens Apostolorum praefuit collegium,
et vicem functum magistri, Christianorum choros
ad sacras epulas vocavit, et propinavit merum,
et sacrum sollemne seris tradidit nepotibus,
haec initia quisquis ambit, ante diffidat sibi,
seque damnet ipse judex, testis, auctor et reus,
nec nisi gratis favente speret absolvi Deo :
hoc precatus, immerentis ut necem nati pater
insolutum sumat alma largus indulgentia,
et fide, jubente Christo, nomen accepto ferat,
cujus insonti cruore deleatur cautio,
cautio quae tanta, quantam nemo solvendo fuit :
ne Dei dirus satelles, ille noster carnifex,
debitores in profundum carcerem nexos trahat,
creditumque persecutus, ducat addictos sibi.
Gentis humanae redemptor mancipatos inferis
noluit servire poenis ; Ditis ereptos jugo,
nosque liberos abire jussit, et misit manu.
Mensa testis est herilis, cujus exsortes prius
arrogati filiorum more nunc accumbimus.
Hinc procul, procul profani, quos vel error credulus,
vel superstitiosa veri fallit ignorantia,
quique trunco, quique saxo funditis surdo preces.
Ite quotquot a caterva transfugae desciscitis,
et repudium Christiano nuntiatis coetui :
augures, aruspicesque, qui futura venditis,
quique Circaeae tenetis artis horrendum scelus,
quique supremi negatis esse nos curam Dei,
et quibus juris superstes nulla jurati fides.
Ite Regum perduelles, et quibus vivax pater,
aut nimis longaeva mater : impiae linguae procul
ite, et ite factiosi, nata dissidiis cohors.
Ite ventres, ite turpi serva gens libidini,
cumque moechis ebriosi vosque turba pestilens,
vos cohors morbosa nostris exsulate finibus,
qui simultates fovetis, hosticoque spiritu
impetenter aestuantes quatitis irarum faces.
Ite queis jus est in armis, dexteras innoxiis
caedibus contaminati, quosque ditant fenora.
Ite fures et rapaces, et quibus nil est satis,
et deest quod possidetis, aleaeque lubrico
qui datis census, et horas cariores censibus ;
ite quorum nos puderet ; ite quos nostri pudet :
haec nefas arcana vestro pollui contagio :
haec triumphis destinati tessera est exercitus,
quam Sacramento ligati militari poscimus.

Hinc notis arcemus istis partis adversae duces,
atque diris exsecramur omne Titanum genus,
arma divino moventum classico contraria,
donec ad meliora versos, deditosque, et in fidem
publicam cernat receptos sacra vexillatio.
Nos Deo culpam fatemur, criminum quos paenitet,
utque condonet <nobis> precamur : haeret intimis
ossibus labes avita, cujus heredes sumus,
urimurque blandientis carnis impetigine,
pullulante semper Hydra : nec potest radicitus
virus evelli repugnax, et vetustiscens malum.
At Dei tamen renati spiritus genitabili
calle cedimus sinistro, nec pedem casus frequens
cogit infirmum referre : semper emersus luto
gressus in dextra reponit semita vestigium,
nitimurque pervicaces ire virtutis viam
hoc viatico refecti, robur ut crescat, cibo,
quem dapi primae parentum Christus antidotum dedit,
addiditque potionem liberantem viscera
pristino Lethes veterno, praestitis medici manus.
Alter hic Melchisedechus, sempiternus Pontifex,
pacis hic, aequique princeps, Abrahami posteros,
laeta gestantes opima, pane donat et mero.
Haec dat ambo signa nobis Paschatis prisci loco
ille nostrum Pascha Christus, foederisque symbola,
foederis, quod immolatus sanxit ipse sanguine.
Panis hic est illud olim Manna lapsum caelitus,
quo reliquit Israelem saeva deserti fames.
Longa solvunt Christianis mentibus jejunia
succus ambrosiae salubris, nectarisque poculum,
quo semel perfusa large corda dediscunt mori.
Cena lotis est parata : post aquam discumbitur :
ipse nam modimperator, ipse rex convivii,
jussit hunc ad apparatum corrogari singulos,
amne quos puro rigatos lustricus vidit dies.
Vae superbe contumaces, vae recusantes sequi,
quotquot excusationi, cum vocet rex optimus,
vel boves emptos, vel agrum vel torum praetenditis.
Poena nec minor manebit vos, ad haec qui fercula
veste non pura venitis impudenter sordidi.
Dulcis haec medela vobis, nobilisque mattya
cedet atrox in venenum, cujus infectas lue
uret arcanus medullas ignis, ut Nessi cruor,
mortis aeternae minister. Durat haec sententia
in caput prolata vestrum : quadrupedem constringite,
et profundi ferte tristes in tenebras Tartari,
qua resultant ejulatus, horridum dentes crepant,
et vetat semel perire semper occidens dolor.
O mihi grex sancte salve : magnus upilio tibi
pabulum potumque praebet : ille te regit pedo,
ille quondam laeta Olympi pollicetur pascua,
ille nec fures ovilis, nec lupi rictum fugit :
obvius currit periclis, sanguinisque prodigus,
dum gregem possit tueri, non timet pastor mori.
O cohors conviva Christi, (namque te mysterii
compotem sacraeque fecit ipse cerimoniae

patris aeterni sacerdos) corpus hoc ipsum cape,
corpus, infelix quod arbor gessit affixum cruci,
mole quod jacuit sepulchri nocte bina conditum,
et, subacta lege fati, sponte surrexit sua,
nos ut exemplo doceret, lucis haec ad limina
perditae retro patere morte defunctis viam :
inde porro visuique tactuique obnoxium,
rebus humanis, perire nesciens, interfuit :
hinc in alta nube raptum sede in excelsa tenet
dexteram rerum parentis. Sanguis hic idem datur
qui cadens infame poenis Golgothae tinxit solum,
cum sarissa militaris mortuum fodit latus.
Panis animae vi recoctus, et caloris fomite,
(quem resartorem perennis corporum dispendii
addidit Natura mater) omnibus succos viis
dividit late fruendos, inque partem vertitur,
seque transformans in artus, sustinet vitae fugam :
sic alit mentes Iesu corpus aeternans cibus,
spiritusque quo vigemus, spiritus Dei, Deus,
insito fervore Christo nos facit concorpores,
et coacta membra membris jungit, et membris caput,
ut jugali temperata partium concordia
spiret immortale puram sacra compages diem.
Cor Lyaei mitis haustus ut perurit gaudio
cum per exta dulcis imber serpit, artus humidi
flammeos halant vapores, et voluptatem bibunt :
vulnerum sic ille Christi, qui pedes per et manus
perque costas purpuranti rore manavit cruor,
pectoris secreta nostri permeante spiritu,
intus occulti madoris fumigat suffitibus :
perque fibras, perque venas, ipsa per praecordia
pervium sui tenorem sanguinali tramite
imbuit, piaque mentes incitat temulentia.
Carne pasti quotquot hujus sacra mensae carpimus,
hospitem Christum precemur, ebriique sanguine,
maximi nato parentis supplicemus gaudiis,
carminumque duplicata conferamus jubila.
Mutuo fraterni amoris copulati vinculo
ad suprema templa caeli mentis unanimi gradu
ite concordes ad unum : proque turis polline
gratias adolete regi, qui clientes sospitat,
qui saluti civitatis universi mortuus
vivit, et largitione publica nos educat.
Ipse panis est celebris, nulla quo pastum semel
nulla temporum sequentum vexat esuritio :
ipse potus, quo rigatos nulla distorquet sitis.
Ipse cum spectandus illo, quo cibamur, corpore
pendulus scandat tribunal stare jussum nubibus,
ipse praeses jura dicet, assidebunt Angeli,
cumque sex labor dierum saeculorum termino
ibit orbis in favillas, et rogum perdet rogo,
cum cadaverum citatrix clanget accensi tuba,
ipse nos solvet sepulcri compeditos nexibus
parte secretos ab una : nam sinistros ordines
turba complebit reorum, criminum poenas pares
et suos passura manes. Nos sequemur principem

qua super Phoebi meatus, et dierum patriam,
menstruique incerta motus, totque palantes globos,
purioris ora caeli lactis ostentat viam,
aetherisque candicantis ducit ad palatia.
Turbo non versabit ultra sortis humanae vices :
in locum saecli fugacis, inque momenti locum,
illud aeternum subibit, et perennis circulus.
Nos beati, nos profunda luce vibrantes domos,
et reformati colemus Totius pomoeria,
extimi flammata mundi saepta, rerum vertices,
luminis campos patentes, et quietis liberae,
nox ubi numquam timetur, consciusque gaudii
dulce vernanti sereno blandus arridet dies :
tecta per gemmantis aulae spargit immensum jubar
dia Majestas, nec ullo passa se fastigio
mentis attingi, nec ullo vocis aequari sono,
et sui vultus corusci pectus afflatum beat.
Musicos inter canores, caelites inter choros,
detinebit feriatos pervigil tranquillitas.
Tunc Iesu praebitore contubernalis cohors
cum Cherubino senatu fulta sublimi toro
non dato felicitatis fine convivabimur.

## PARAPHRASIS IN PSALMUM LXXXII.

S1_04
Formidare deum discite judices,
qui magnis procerum coetibus interest,
et suffragia regum
pendit consiliantium,
secretusque foro praesidet arbiter.
Quo tandem nocuos fine fovebitis
auctores scelerum, nec
cedet gratia legibus ?
Quisve injustitiae stat pudor, aut modus,
venales animae ? Dicite, cernitis
ut vos praeda superbi
actoris vocet orbitas ;
et simplex pueri fallere nescii
aetas fraudibus obnoxia divitum
nullo vindice ? Tandem
pupillis et egentibus
gratis jura date, et pauperis exteri
causam justifico solvite calculo.
Quin illum sine labe
fortuna tenui gregem
crudeli dominorum eripitis jugo ?
Assertumque sui jus inopi datis
turbae ? Saucia vestram
libertas ad opem fugit,
saevae ludibrium triste potentiae.
Sed surdis canimus : quippe animos tenet
alta inscitia legum,
et socordia pertinax
defendit triplici pectora nubilo.
Densatum tenebris est iter : horrida

vis caliginis atrae
caeca mentem agitat via.
At res se interea publica consili
expers mole sua praecipitat : ruunt
fundamenta, soluta
compages patriae labat.
Sic est : vos, fateor, gloria nobilis
terrarum dominos evehit ad deos,
heroesque supremi
auditis soboles poli
rectoris : veniet mors tamen, ultima
rerum meta pari lege necessitas
plebem deprimit unam,
et regum pueros : sua
nec servat tumidos purpura principes.
At tu, magne Deus, tu potius veni
judex, et tibi dictas
gentes imperio premo.

## IN TRES VERSUS POSTREMOS CAPITIS X PROPHETAE JEREMIAE. PARAPHRASIS.

S1_05
Quod procul Assyria veniens exercitus ora,
magne parens, versis in nos victricibus armis
palmiferum nemus et valles populatur opimas,
castrorumque minas circum sacra moenia tollit
auspiciis fundata tuis, jamque imminet urbis
excidio : non hos Euphrate aut Tigride motus
ille Semiramia secum devexit ab aula :
non a coctilibus venit haec fiducia muris :
sed lapis ut quondam Balearide tortus habena,
quos non ante habuit sub nubibus invenit ignes,
sic Babylon, sic regna Nini quae possidet heres,
nempe manus sunt tela tuae : caelestibus itur
imperiis. Nam sidereos qui temperat orbes,
idem humana regit vestigia, quidquid ab alto
imminet, huc ultro tendens ruit obvia fatis
turba simulque venit supera cum lege voluntas.
Nos autem, quocumque vocas, meruisse fatemur
omnia : pro populo poenam non deprecor isto,
qui toties divum surdas prostratus ad aures
impia turicremis placavit marmora flammis.
Seu morbos saevire jubes, seu protinus atram
mittis in arva famem, pluvios et subtrahis imbres :
sive aliud quodcumque paras, praebemus ad ictus
devotum caput : ipsa reis placet ultio ; sed quem
crimina nostra negant, tua det clementia finem.
Nam si, dum justae furor in nos aestuat irae,
ad poenas et flagra venis, damnabimur omnes
exitio, et pridem populis invisa profanis
funus erit Judaea sui. Sed parce, precamur,
nec totum ultorem nostris impende ruinis,
sed multum miserantis habe. Quamquam horrida poscunt
supplicium peccata, pater tamen esse memento.
Vindictam venia metire animoque tumenti
pone modum : vel si nondum deferbuit ardor,

materiamque petit, dirae sunt undique gentes,
quas tua majestas, aeternaque gloria, nulla
relligione tenent : caelum pars magna solumque
artificis secura videt. Ferus ille, tuosque
Marte premens, Belum pro te Chaldaeus adorat :
regumque exuviis, et nostra clade superbus
Mithrae sacra facit. Nullos misere juvencos
ad tua templa magi : nullum caelestibus aris
Assyrii fudere merum. Tamen ecce triumphat
barbarus, et vastat populum tua sacra colentem,
(dum te posse negat, quos obsidet ipse, tueri)
impune, et campis tentoria figit in illis,
per quos sanctus oves armentaque saepe secutus
bissenae sobolis genitor, tua magna voluptas,
et nemora et colles docuit resonare Tonantem.
Quin etiam depascit agros, et ovilia raptat
Isacidum, nequa hinc Salomonis ad atria magnis
victima ducatur solemnibus : utque perennes
ergo foci sileant, Solymaeque (o dedecus) arces
armatum vacuis videant penetralibus hostem.
Ah melius tales, si quid misereris, in ipsos
verte minas : nostri fiant medicina dolores.

## ODE IN NATALEM.

S1_06

Natalis aurae conscia me dies
et tot reductis orbibus in caput
jussere soles dedicatas
ferre preces animumque caelo.
Ter ergo septem lubrica circulos
evolvit aetas ? Quae steriles fuga
protrusit annos ? Nos inertes
tempora non reditura vitae
amissa sero quaerimus. Interim
versatur aether, nec citior jugis
dejectus Alpinis Batavos
irruit, et mare belluosum
tot gentium per nomina, cum nives
dimisit horror, Mauritiis nitens
Rhenus tropaeis, quam fugaces
astra dies tenebrasque mutant.
Tenebit horas dum licet, et sequi
parcet querelis, qui sapientior
fatigat ardentem juventam
consiliis, et adhuc negantes
invadit annos. Da veniam parens
Aeterne, munus si periit tuum :
tu ferre caelestem dedisti
effigiem, neque de pudendo
nasci parentum sanguine, sed quibus
avita virtus notaque gloria :
utcumque praesentem fatemur
Posteritas meruisse culpam.
Quin et valentem corpus et indolis
cepit beatum non famulans humus,

quem sacra libertas quietum
pasceret, et patrio vocaret
sincera cultu relligio. Sed heu
contaminati incuria saeculi,
aeterna corruptrix, gravique
segnities onerata luxu,
mersere rectum. Tu semel excita
cordis veternum ; tu juvenilibus
exsolve delictis prioris
flagitii bene paenitentem.
Scis quo redemptum jure piaverit
insons magistri poena. Precor, precor,
da luce natali novatam
in melius properare vitam :
ut mens superbi conscia gaudii
immota rerum non paveat vices,
seu poscor in leges et acri
jura foro, populique rebus
partire curas, seu melius fuit
mandare seris acta nepotibus
atque interim grates sonanti
dulce lyra tenuare carmen.

## ODE PRO INDUCIIS.

S1_07
Christe, quem cunis puerum jacentem
impius toto procul orbe Mavors,
fugit, intacti scelerum, nec ulla
caede madentis
imperi regem, satis, o precamur ;
longa jactatae per acerba belli
gentis exemplum dedimus Batavi
sanguine nostro :
qualis ereptum nimis imminenti
saucius dudum gladiator hostem
vulnerum securus adhuc per omnem
quaerit arenam.
Dicat hoc nostrum mare, dicat aequor
creditum solis relevare currus,
dicat et septem vetitus tueri
signa trionum
qui colit terras habitator Indus,
quanta crudeles satiarit iras
militum virtus, inimica nostris
funera miscens.
Nunc furor clausus, manibusque foedis
horridum Bellona tenens flagellum
carceri immugit, nihil et paventes
saevit in umbras.
Absit o tantum dolus, et simultas
fraudium caecas meditata nubes,
bisque pugnato graviora lustro
otia Teucris :
omnis ut mundi meritura famam,
cladibus multis, totidem triumphis

empta libertas, eat in nepotes
munus avitum.

## EUCHARISTIA.

S1_08
Procul profani, qui, quod os et quod manus
oculique monstrant, nec quid ultra, creditis,
quis una mens exsensa ? Ventri obnoxia,
humoque prona gens, et, ut summam loquar,
homines, nisi qua bestiis differt homo.
Quid has stupetis ad dapes ? Ejus quod est
nihil videtis : quod videtis id est nihil.
At vos quibus lux aurea, et rerum color,
quem sole fusum vultus hic noster videt,
tantum paternae lucis est radiatio,
et oculus animi est hoc quod est animus Dei,
audite Mystae. Mundus hic, unus triplex ;
incorpor, immortalis, et mortalis est ;
quae sic vocantur ; spiritus, caelum, solum.
Mundi sator, divinus a summis Amor,
per media ad ima venit : et variis modis
hoc universum particeps fecit sui.
Sic esse coepit quicquid est : simul exstitit
perfector, ima copulans mediis Amor,
et media summis, ut potirentur bono.
Sic coiit ingens circulus ; sic omnia
tum per Deum fuere, tum propter Deum.
Quaeque alia fuerant, quia, quod unum est, non erant,
ut facta ab uno, rursus unum facta sunt.
Sed reliqua quod sunt, hoc semel debent Deo ;
soli bis homines, quos creator perditos
ut recrearet, est Deus factus caro,
Caroque noster panis. Inverso ordine,
quare necesse est, et recurrenti vice,
ut iste panis caro, caro fiat Deus.
Panis caducus, fragilis : at contra caro
caelestis, immortalis : incorpor Deus,
mens ipsa mentis, unde spirant spiritus ;
mediumque principiumque cum fine est idem.
Caro Deus, et caro panis, et panis Deus.
Utriusque sedis qualis in confinio
locatus astri semilucentis globus,
nunc, quo corusci solis orbem respicit.
Vultu nitescens, deserit nigra abditas
in nocte terras, nunc ab inferna micans
regione nobis candidum obvertit jubar,
inimica cernens lucis auctorem suae :
sic noster animus corpori datus Deo,
hinc medius ipse lucis et caliginis,
felix profecto, si quod est clarum, sui
tenens, superna luce lucem respicit,
altusque formam cuncta formantem videt,
damnans tenebris hoc tenebrosum chaos.
Miser sed idem, jubare depresso Deum
si derelinquit, inque materiam cadit,

quae quantum abivit a bono, tantum mala est.
Si jure periit sanguinis nostri parens
simul atque in epulas a Deo descenderat,
qui contra ab epulis ad Deum scandit, bonum
esu recepit, sicut esu perdidit.
Nullae patescant sensuum nobis fores,
intus vocandum est quicquid animo est virium.
Hebent amantum lumina, atque artus stupent,
quos entheatos sanctus externat furor.
Res tota mentis vertitur : sursum, viri,
sursum est eundum. Vivere hoc nostrum est mori :
nam caro per animum vivit, animus per Deum :
ille animus animi, quo sine animus mortuus.
Terrena sic pars seque et aetheriam necat,
nisi vita in ista, vita nascatur nova ;
quae vita mors prioris, et mors mortis est.
Vita ipsa vitae mortua, hanc vitam dedit.
Quid illud ergo est quo creamur denuo ?
Aqua, prima rerum mater. At quae suppetunt
alimenta natis, duret ut vitae tenor,
et aucta virtus robur in solidum exeat !
Panis, merumque. Sanguinem terrae, merum
dixere veteres : farra sunt terrae caro.
Ut ergo fomes ille, naturae calor,
vitae priori consulens, vultum novat
faciemque rebus, unit et difformia,
vinum ut sit homini sanguis, et panis caro :
sic ignis alter iste, naturae nihil
leges moratus, nosque perficiens amor,
ut intus hominem pascat, et vitae alteri
ministret auctus, transitu miro facit
de pane carnem, deque vino sanguinem,
carnem salutis, et salutis sanguinem :
ut ille potus et cibus, qui corpora
hominum solet nutrire, mentes nutriat.
Ita quod merum panisque carni et sanguini est,
hoc jam caro sanguisque fiunt mentibus.
Antiquus hic est sermo, mentis filium
porum fuisse, cui madenti nectare
permista Penia pignus ediderit sacrum ;
hunc esse Amorem. Scilicet natus Dei
aeternus ipse, mente ab aeterna satus,
pulchrumque princeps, forma vitalis boni,
in quo refulget, et perennis gratia,
exemplar universi, et exemplum Patris,
species quod omnes continens unum facit,
quo cuncta vis divina seque intelligit.
Sic ille dives, insitae quem conscia
privationis nostra paupertas adit,
ut ejus opibus ipsa, quae nil possidet,
famem sitimque satiet. Haec verissima
amoris est origo. Sed nemo Deum
amare possit, quem Deus non ante amet.
Nam sicut oculus luce non tantum sua,
sed Solis ipsum luce Solem conspicit ;
idemque qui videtur, et visum facit :

adversus et nos sic Dei prior est amor,
et causa nostri amoris adversus Deum.
Hic, ut beetur, quaerit ; ille autem, ut beet.
Nos certe egestas nostra propellit ; Deum
non sua, tamen sua, quippe simulacri sui.
Dei est profecto, nostra non est, copia,
et nostra tamen est, cum sit in nobis Deus.
Quod amat, in id, quod amatur, ipsum vertitur :
deus homo factus, ut hominem faceret deum.
Ac, sicut uxor virque, consortes tori,
inter se amoris foederantur vinculo,
unumque fiunt corpus : haud aliter Deo
coetus fidelis corpus est ipsum Dei.
Fuere grana plurima, uvae plurimae.
Qui panis est nunc unus, atque unum merum.
Quamquam caro olim fracta, panis frangitur :
sanguisque fusus, funditur vinum ; caro
tamen una, sanguis unus, panis unus est,
unumque vinum : nec minus quorum usibus
franguntur et funduntur, unum sunt et hi.
Rex unus, unus populus est : rex in suo
populo : populus in rege : populus, rex, idem.
Sed populus est, ut corpus ; et rex, ut caput.
In capite mens est ordinatrix corporis,
ita ut sit eadem tota toto in corpore,
eademque tota singulis in partibus.
Vitae prioris ille miserandus parens
contaminatam posteris carnem dedit :
hac pariter omnes a Deo discessimus,
et ab altero alter ; quodque fuimus, non sumus,
sed aliud ex uno, sed ex aliquo nihil.
Novae sed auctor optimus vitae, sua
pura, innocenti carne donavit suos.
Hac restituti nos, et uniti Deo,
et alteri alter, quod fuimus, iterum sumus,
et aliud unum est, et nihil factum omnia.
Conjunctus animus carne cum nostra, facit
vitam priorem ; carne cum prolis Dei,
vitam secundam. Non amans tam se penes,
quam penes amatum est : unde non tam nos caro
nostra maculosos, quam Dei puros facit.
Mors amor, et idem vita : mors idem domi
forisque vita : propter haec, nostra mori
nos carne decet, ut carne vivamus Dei.
Lex vetus, amare ; nec nova aliud praecipit :
primo Deum deinde et effigiem Dei.
Deus ipse sese, Deus et ipse homines amat :
homines amemus igitur, ut amemus Deum.
Propter se amandus Deus : homo propter Deum.
Per multa amoris motus, at in uno quies.
Utcumque late circuli patet ambitus,
tamen omnis inde linea in centro coit.
Fructus hic amoris, est voluptas maxima,
terram colentes quae supra caelum locat,
aeternitatemque antevertit tempore.
At et hic Amoris usus, ex se gignere

quod simile amato est ; hoc in animo dicimus
meditationem. Nostra mens igitur Deum
figurat, ipsumque imprimis pulchrum sibi,
ligante vero namque cognitio est duplex :
illa, est Amoris mater ; haec est filia :
sed matre multo filia est perfectior :
ut illa pulchro simile, ita haec pulchro est idem.
Si prima virtus mentis, est sapientia ;
eademque nobis ultima est felicitas ;
et sapere, cuncta est scire : felices erunt
quicumque poterunt cuncta in uno discere.
Praestare sola quod potest Sapientia
divina, per quam cuncta et in qua cuncta sunt.
Beatitatem donat hanc nobis Amor :
quo noster intellectus, is qui non capit
formas quidem omnes, capere sed tantum potest,
patique natus, agere nil per se valet,
fit purus intellectus, inque actum venit,
ut cuncta agenti junctus intellectui.
Sic finis absque fine mentem perficit,
idemque sine primordio primordium est.
Te nunc precamur, optimumque et maximum,
qui solus unus atque simplex es quod es :
o causa causarum, et soluta necessitas,
quies suprema, motus unde omnis venit,
nihil ipse patiens, cuncta agens, primum, ultimum,
mediumque, vitae vita, lux lucis, bonum
verum boni, natura natura prior,
semper et ubique totus, immutabilis,
ultra supraque mundum, at in quo mundus est :
aeterna tua mens hoc quod est, intelligens,
sapientiam progenuit aequalem sibi,
se mensa, quanta est, compari sub imagine.
At hinc videntem colligans visumque Amor
processit, in se vim repercutiens suam :
unumque tria sunt : nam quod es, scis, vis, idem est.
Oramus ergo, qualis exsistis tibi,
talem ipse te per opera nobis exhibe :
Amorque primum, sancte purgans Spiritus,
odii repelle virus, et quo nos Deus
Amore amarit, inde sensum mentibus,
fac istum Amorem nos amemus mutuo,
ut igne natus ignis ignem nutriat.
At tu, suprema maximi pietas Patris,
verbumque primum, ratioque, et sapientia,
quem monstrat ille tectus in nobis amor,
quique ex amore facta nos propter caro es,
sine patre homo, sine matre qui fueras Deus :
homo mortuus es, ut vinceres mortem Deus.
Mors, nata falsi : vita tu et veri parens.
A te fluens nos imbuat sapientia.
Vox vera, vox justifica, vox exsuscitans,
via ad salutem, qua tuam sapientiam
sapiamus omnes : ergo tenebras disjice,
ut lux ab ipsa luce lucem proferat.
At tu, parens ingenite, fons substantiae,

tua ipse origo, mens coaeternis prior ?
Ad quem tua illa nos rapit sapientia
a te profecta ; quique, amoris spiritu
permotus, omne hoc esse jussisti tuo
sapiente verbo, quod prius fuerat nihil ;
hominemque rursus, aliter effectum nihil
revocasti ad esse motu eodem spiritus,
per idemque verbum : tolle quodcumque est mali,
bonusque summo fac bono simus boni,
nostrum esse ab esse ut esse concipiat tuo,
Deus unus, unus in tribus, fac nos ita
amare, et intelligere, et esse, unum ut simul
fiamus alter alteri, atque unum tibi.

# SILVARUM LIBER II.

## IN QUO PATRIA GENEALOGIA NASSAVIORUM.

S2_01

Septemplex genus ex uno, stirpemque renata
fecundam virtute cano, cui fata tuendi
justitiam partes tribuunt, ut semper iniquos
fortuna famulante premat : quam saepe rebelles
horribilem, placidamque hostes sensere subacti.
Non illa exigua paulatim ab origine crescens,
temporis auxilio, magis ut procederet, usa est :
non aevi lassata moris post tanta senescit
saecula, defectaque a nobilitate remittit
degener : exsuperans alias se semper adaequat.
Hac coepit qua finis erat : jam tempore magnis
elapso spatiis tamquam modo nata virescit.
Romulei vectum dedit haec ad culmen Adolphum
imperii : felix, felix foret ille, negatum
jure nisi Austriades bello quaesisset honorem,
et conjuratis ambisset sceptra Bohemis.
Quinque haec ipsa duces gaudenti protulit orbi,
quos penes optandi jus est ex more vetusto
cui domino parere velint, et vivere cujus
Caesareis totum cupiant sub legibus orbem.
Nam tu Didericum germano Caesare clarum
Trevir habes : Janum populosa Moguntia adorat,
et cum Gerlaco geminatum nomen Adolphos.
Quis, genus egregium, formidatamque tyrannis
progeniem, et belli tot fulmina, totque canenti
semideos, quorum pietas victricibus armis
aemula testatur non solo robore vinci,
Hippocreneo labiis arentibus haustus
sufficiat de fonte liquor ? Majora poetae
omnia cum referant, sunt haec majora poetis :

cum nihil haud fingant, si gens spectabitur ista,
nil veris aequale dabunt : non Castalis istis
unda sat est. Dic, Serra, mihi, cur sanguine mistus,
quoque fluas auctore, tuas quis pinxerit undas :
et vos Cappadoces populis narrate coloni,
vicina Iconii qui moenibus arva juvencis
finditis, offenso quoties sub vomere teli
dissiliant fragmenta solo, vel qualia passim
ossa crepent, tractisque impulsa cadavera rastris.
Rapta quod integrior Sultani e faucibus esset
pars Asiae, nec victa foret pars tertia mundi,
unius praedonis ager, si vera fatemur,
Nassaviae est virtutis opus : namque agmine primo
millia ductabat decies ibi sena Robertus.
Arbitrio felix hoc Barbarossa fuisti,
qui primus, quod nos quoque post tot saecla videmus,
vidisti, et toti sensisti congrua mundo,
huic generi servire Deos. Queis vincere cordi est,
Nassavios optate duces : spes certa triumphi.
Hoc quingentorum decies cum strage virorum
ad Guinegata docet caesis victoria Gallis
ex ipsa revocata fuga, dum versa repente
agmina dux tumidum rapit Engelbertus in hostem,
idem etiam missus feriendi foederis auctor
exemplo docuit, non solo Marte potentes
Nassavios : idem Flandras moderatus habenas
Brugarum indomitam toties compescuit iram,
dum verbis animos regit, et fera pectora mulcet.
Sic nullis ingratus erat, populique ferocis
rectorem metuebat amor. Ferrique togaeque
Henricus geminis patruum virtutibus aequans
legatus cum laude fuit paucisque negandas
poscere te leges, contentaque, Galle, pacisci
foedera, fulmineo perrumpens Marte coegit.
Quo fessum Cabilone vocas ? Tua maxima virtus
augusto spectata diu mea carmina terret,
infirmasque oneri tanto succedere Musas.
Nos priscos potius Comites, stirpemque canamus,
quam stantes aptat sustentans linea ductus
Mauritio, nostroque duci jugat arduus ordo,
declivesque gradus : cujus protendere nomen,
si nihil egisset tanto jam tempore dignum
gloria praesentes cujus pertingeret annos,
unica sufficeret tam magni fama nepotis.
Pannonius patrii numen juraverat Istri,
devicto galeas demum deponere Rheno.
Non illud toleravit Otho, vindexque pudoris
Teutonici, et toties jam rupti foederis ultor,
intrepidam domuit gentem : nam caesa cruentis
mille quater decies jacuere cadavera ripis.
Hoc Rhenum tenuere modo, frontesque reliquit
cassida : non ante in jugulum Germanicus ensis
altius Hungaricum descenderat : hoc duce primum
Imperii reparatus honos ; Alemannia tantum
huic debet, quantum tot dudum amiserat annis.
Sed praeter domitos celebrandis cladibus Hunnos,

qui Colopinque Savumque bibunt, amnemque Bagunti,
Nassoviis semper Mars quantum indulserit armis,
Dalmata testis erit, meritusque vocabula Sclavus,
Illyricusque, et qui Naronis flumina potat.
Felicem nimium gentem, cui militat ipse
militiae pater, et jurant in classica Divi !
Quos successoris Walravum jure secutos
est toties miratus Otho, Magnique probavit
Nassovio sudore notam. Nil fortius illo :
ne causam mirere tamen, nil justius illo.
Cum tibi vicino peteretur culta Triboccho
Alsatia, et multis felix Lotharingia castris,
Gallorum, Lodoice, manu Walravia virtus
emicuit, causaeque nihil confidere iniquae
admonuit : jussis rursum tibi missus in armis
suppetias tulit, et duros ultura rebelles
patria Parrhisiam tentoria fixit ad urbem,
pallida translatum cum vidit Gallia Rhenum
despectas ausum per tot juga ducere leges.
Tanta fides, jurisque metus, servator honesti.
Huic fuit, et quotquot tanto sunt semine creti.
Hic Wenceslai fraterna caede madentem,
esse Deum docuit, regeret qui bella, Bohemum.
Cum fatum secum traheret, nil profuit illi
lustrorum mora longa trium. Non degener idem
numquam majoris infami caede fugavit
Pannonios, galeisque Lycum victricibus hausit.
Hunc sequitur patrii Walravus nominis haeres :
ille, Roberte, tibi pater est : te proelia bina,
et decies senas Henrico Caesare pugnas,
intrepida gessisse manu, (quis credere posset ?)
Non dubitant numquam dubitandi tradere fasti.
Restituens puero rectori totius orbis
depositum, ad justos fovisti principis annos.
Vincenti toties non umquam defuit hostis.
Semper erat tibi Saxo ferax : tua dextera et ipsam
sub juga vi captam Romam Romana redegit,
Pannonicisque eadem toties ditata tropaeis
o semper te digna gerens, semperque renata
nobilitate virens, numquam tibi degener ipsi,
et cujus sobolem genitorum fata sequuntur,
una domus toties una de gente triumphans.
Hinc alius Walravus adest : gratissimus ille,
Caesar, erat, Conrade, tibi : qui, sidus ubique,
Caesareas Aquilas Romanaque pila secutus,
Saxonas, et Bavaros domuit, fratremque Superbi,
Hungaricis fretum auxiliis, Siculisque minantem,
illius, et Phrygiae valles, quas clade cruenta
montibus aequavit, virtutem dicere possint,
Maeandrique vagos toties mutantia cursus
flumina, quae largos mutarunt sanguine fluctus.
Quam prope tunc fuerat, Solyme ut devicta fuisset !
Hoc quoque debuerat titulis accedere tantis.
Perfide cur Manuel sociorum laudibus obstas ?
Filius Henricus studiosum pacis Othonem
progenuit ? Natusque iterum est Henricus ab illo,

nomine avum referens, pacata mente parentem.
Hos post tot magno genitos Mavorte Quirinos
profuit esse Numas. Hinc nomen divitis illis.
Optimus Henricus late ditionibus aequis
Teutonicos saltus, et Norica rura tenebat.
Testis opum solus nascentis conscius Istri
Abnoba, quem citra locuples regnabat, et ultra.
Henrico generatus Otho, cui Lona rite
fraternas distinxit opes, atque arbiter amnis
fines rexit, aquisque interluit arva sequestris.
Tertius Henricus genitorem jactat Othonem,
qui Dillenbergas aequavit nubibus arces.
Postquam Henricus erat cupidis praereptus ab astris,
tu succedis Otho Viti cognomine, Burgo,
parteque Grimbergae, dotalique aucte Vianda.
Sic etiam, magni princeps successor Othonis,
Clivia cessisset, cessisset Marcia tellus.
Jane tibi, nisi jura ferox tenuisset Erinnys :
quae spolium de dote tulit. Nec taeda jugalis
Engelberte tibi nil profuit : addita Bredae
Lecca tibi est, et jure tua est Polana marito.
Et tibi, Burgundo junctissime Jane Philippo,
maxime gentis honos, expugnatorque Dynanti,
auspiciis Caroli, non parvam femina dotem
attulit, et patribus duro Mavorte paratas
fert hymenaeus opes. Sic vobis maximus aether
servit, et effundit pleno se Copia cornu.
Quid succedentem Jani hunc quoque nomine natum
moribus extollam, aut nulli cedentibus armis ?
Exsuperat laudes, quicquid laudabile gessit.
O pietas, o rara fides ! Non desiit ejus
ceu vitae connexus amor meminisse sepulti
regis, at in sobolem transcurrit gratia patris.
Nam comes austriaci Castellae in regna Philippi
ut quondam coluit cum sceptra teneret, et auras,
sic coluit post fata virum : nec pignora (mirum)
plus umquam sua, quam natum curavit herilem :
cumque solo evecti Regis raperetur iniquis
Baeticolae insidiis bello quaesita supellex,
obstitit, et gemmas, et magni ponderis aurum,
detulit haeredi. Caelesti ex arce Philippus
vidit, et (heu frustra) caelo clamavit ab alto :
"Quotquot ab Austriaca surgetis gente nepotes,
discite ab eventu ; tuto qui credere vultis,
credite Nassaviis ; Hispano fidete nulli."
Illum Bolsuarti obsidio flavente Sicamber
Caesarie stupuit : Frisius miratus eundem est.
Quisque foret, sensere hic hostis et alter amicus.
Illum bis septem celebrat Neoporta diebus
hostili subrepta jugo, et donata Batavis,
aspera cum Geldros, saeva modo caede tumentes,
jam profugos, una docuit dare terga ruina.
Hoc natus Guilielmus, opes cui praeter avitas
Chattorum accessit ditio, te judice, Caesar.
Hic ditis quoque nomen habet, sed ditior idem,
si non pura foret veneratus sacra, fuisset.

Sic sincera nocet pietas, odiumque meretur
relligio : semperque bonis mala saevius instant.
Magnus Arausiades sequitur, par nomine patri,
par pietate patri, sed cui par nullus in armis,
ille nisi solus qui se cupit esse minorem,
praeferrique patri meritorum laude recusat.
Aspice nos, si forsan adhuc mortalia curas,
nec pietas Batavos erga, Gulielme, recessit,
quos tua felices fecit manus ; aspice natum,
qui nos non patitur, licet haud patiamur et ipsi,
non meminisse tui. Quis relligionis amorem,
prudentemque animum, natum istis rebus agendis,
virtutemque canat ? Mansueta modestia purae
mentis erat custos, exsulque superbia cessit
corde pio ; numquamque nimis tua canduit ira.
Pessima cum paterere diu, meliora putasti,
sperastique tamen : nec si quid forsan Iberus
praetendens nomen proprio regale furori
ausus erat, poteras irato asscribere regi :
quin etiam in mortem magna mercede petitus
nil metuis, letumque juvat praeferre timori :
cumque tibi placeat quam nobis, sancte, dedisti
libertas, quam jura tui, te perdere mavis.
Evenere Tagi numquam caritura pudore
crimina, queis nondum reperere vocabula linguae,
nec titulum natura dedit. Quo nomine dicas
prodere, cumque suis alienas vendere vitas ?
Barbara semiferis nutrix Hispania Mauris,
unam de cunctis merito te cernere terris
sol metuit, mergitque diem : cum nostra cohortes
arva tegant, equitentque tuae tot collibus alae,
ad caedem sine Marte venis. Dic perfida tellus,
Indorum tantis nondum satiata ruinis,
quis tibi bella negat ? Cur talibus uteris armis ?
Vindictam, tanto sceleri quae debita, nullis
suppliciis explere potes. Licet ipsa cremetur
Hispalis, et toto sese Tagus exuat auro,
sanguineis spectandus aquis, testabor inultum
funus Arausiadae. Si quis tamen arma valebunt,
hoc noles fecisse nefas. Quid dira pavescis ?
Nulla fraude cades. Dabimus concurrere campo :
Hesperias clades totum spargemus in orbem.
Cantabricae centum scindant freta nostra carinae :
nos face, nos ferro votum faciemus, Iberis
naufragium fecisse tuis : te classe sequemur.
Gadibus exustis terrarum meta peribit,
et Fortunatae nomen mutabimus orae.
Hinc Brabanta tuo tellus, hinc Flandra madebit
sanguine : nec nostro tantum sub Marte jacebis ;
te tua signa prement. Non est odiisve malisve
terminus. Ultores ipsos veniemus ad Indos.
Vindicta Batavum populos gaudebit Eous.

## HISTORIA BORRII.

S2_02 Si satis Hesperiae nostro maduere secures
sanguine, et affines manibus cecidere suorum,
si fera civiles explevit dextra furores,
communique pudet sceleri tot vindice nullo
impensas insontum animas ; si paenitet ipsos
jam monstrata sibi passos exempla magistros :
quid gratis servire juvat ? Metus ecquis adegit
deteriora pati, quam quae potuere timeri ?
Fata, reos nos fata vocant : te patria sontes
prodimus. Heu, fueras quondam fecunda virorum
Belgica : sed fueras, nunc nil miserantis Iberi
relliquiae deflenda jaces. O degener orbis !
O pudor ! En ubi nunc, ubi libertatis amantes,
Harmodius, Brutique duo ? Sibi maxima tellus
ultores effeta negat, gaudetque domari.
At felix mihi Roma tamen cum Cecropis urbe,
quisque suis servire datum. Gens barbara Belgis
imperat, incenditque in mutua vulnera cives :
degeneres damnabit avos pia cura nepotum,
consortesque jugi merito indignabitur Indos,
occiduo (miranda canam) de sole profectae,
solem prima sacrae reparantem incendia flammae,
surgentemque vadis, acies videre Philippi,
et matutinos vesper migravit in ortus.
Ergo tui, crudelis Iber, meta ultima regni
hinc Tagus, hinc Ganges erit, hinc duo cornua Rheni.
At non usque adeo trepidas ignavia mentes
obsidet : illa prius redit in praecordia virtus,
ingenuoque graves versat sub corde dolores :
concita Libertas furit, et se discere quisque
incipit : inventi, qui per discrimina vitae
esse sui quaerunt, dominum prae morte timentes.
Excussere jugum tota cervice Batavi,
rectores spumantis aquae, virtusque secunda
Mattiacum, Frisiique, paludicolaeque Sicambri.
Quis bene tantarum nobis molimina rerum
pandat, et infandi repetens exordia motus,
incluta Arausiadae consignet bella papyro,
Albanique Ducis furias, et mobile vulgus,
ambiguamque fidem toties, et sanguinis aequor,
spemque unam, sperare nihil ? Te patria, Borri,
destinat immenso judex non falsa labori.
Si quas cura tibi Quaestoria liberat horas
sedulus his totos fugientes atteris annos :
his victura diu luci vigilatur et aurae
Belgiacae. Quotquot rerum monimenta priorum
scribitis, humani per vos injuria saecli
vincitur, et cursus properantis sistitur aevi,
saevaque pensantur nostrae dispendia vitae :
dumque legunt homines quae gesta, geruntque legenda,
ante diem partus vivunt, post funera vivunt :
quis leget haec, quem non aut gloria gentis avitae
incitet, aut odium diri crudele Tyranni
armet, et in lacrimas cognata cadavera cogant ?

Pacarat domitos Parmensis cura furores :
vilia saevitum jamdudum in corpora vulgi,
et jussi patriae summum valedicere terrae,
quos patriae stimularat amor. Succedere missus
Alba ferox, longeque sua truculentior unda,
Herculeis ubi meta viis freta fervida Calpe
claudit, et oppositam spectat sublime columnam
surgere, quae terrae mutat cum littore nomen.
Perfidus, innocui quodcumque superfuit, ille
sanguinis, exhausit : nec jam plebeia placebant
funera, sed proceres detrusi in carceris umbram,
heroumque genus, damnataque colla machaerae,
quae non passa jugum. Capital fit crimen Ibero
displicuisse Duci : scelerique (o saecula) tanto
jus datur. Hornanum vidit Bruxella cadentem :
at tibi quid laudata tui clementia regis,
aut quid donatum Phrixei velleris aurum,
quid Grevelinganae prodest victoria pugnae ?
Scilicet ereptus Gallorum, Egmonde, periclis,
carnifici servatus eras. Metus unicus Albae est,
ne nihil auderent hoc rerum in turbine cives,
et causam bellis patientia tanta negaret.
Venerat armatus nullo prohibente, nec usus
militis ullus erat : tamen extorquenda videntur
proelia : quaerendum, quod erat praetendere Marti.
Nec servare juvat, sed diro quaerere Belgas
Marte, sed imperii juratas frangere leges,
et sibi mancipio totas asscribere terras :
ut Tartessiaci foret una colonia regni ;
quicquid Mosa rigat, Scaldisque, aut ostia Rheni,
unus ager regis. Capita ire in singula, magnus
judicibus nimis ille labor. Rea Belgica tota est :
damnaturque ingens regio, damnantur et urbes :
accusans sedet Alba, et ait "Migrate, rebelles."
Tu quoque migrasti, sed enim damnaris, Arausi,
absens, inque tuo contemnis fulmina regno
tutus, et o utinam tecum tuus ille maneret
filius, heu, Grudiis qui nunc abreptus Athenis
audit (at ignoras) crudelis barbara Vergae
jussa, patremque procul vocat, et sacra jura Lycei.
Ille tamen, quamquam tum primum supplice vultu,
munus it Hesperio regi : Tu Caesaris aures
sollicitas nequicquam, et magnos cogis amicos.
Interea fumant ambustis civibus urbes,
sanguineique fluunt rivi : spes una tyrannis,
aeriae surgunt arces : loca foeta laborant
praesidiis. Quid non sedes Antistitis olim
nobile Trajectum, quid non Antverpia passa es ?
Tu Ducis, heu, fastus titulosque subacta videbas,
et positum victa de libertate tropaeum.
Restiterat, decimis animos tentare subactos,
et precibus numquam rectorum addicta priorum
exigere armato nova vectigalia jussis.
Ergone collatis pretium tibi Belgica gazis
servitii luet ipsa fui ? Sic quicquid habebit,
fiscus erit ? Sulcabit, Iber, tibi navita pontum,

aut procul ad vestras fugient commercia Gades ?
Di, tantum prohibete nefas : vos, si quid in isto
restat adhuc sanguis populo, prohibete coloni.
Omnibus amissis, vetus est, iraque coactos,
res tentare novas. Sic vis Romana premendo
crevit, et injusti fremitus despexit Amuli.
Tunc quoque vicinis terrores gentibus ambo
in lustris latuere Duces : latuistis in illis
vos quoque, qui experti longe genus omne ferarum
mitius Hispano, fugistis ab urbibus illis
in quibus hostis erat, tutique habitastis in antris.
Inde ubi creverunt animi, vindictaque fortes
fecit, et extremis urgens in rebus egestas ;
hostibus ereptas nemorosis condere castris
divitias, raptoque inopem traducere vitam,
silvicolae didicere manus. Ex legibus illis
lex suprema fuit populi servasse salutem :
et prope conciderant, ut possent jura renasci.
Altera pars Albam gremio secura fefellit
hospitis Oceani, mortique pericula certae
praetulit, armatis scindens freta vasta carinis,
littoribus, ripisque timor. Quo, patria, credam
te latuisse loco, terris dominante Tyranno,
civibus at pelago belli murantibus aestum ?
Non tu fixa solo. Respublica sparsa per aequor
classis erat, pelagusque focos arasque tenebat ;
quotque rates, totidem steterant in fluctibus urbes.
Ite boni cives : vobiscum Belgica terris
exsulat, et nostros peregre vehit unda penates.
Alba sibi metuat. Fugitivis contigit ultor,
et, quisquis tamen ille, venit, qui pulsus ab Anglis
cogitur in Batavo navalia quaerere portu.
Brila, celebrabunt te divitis ostia Mosae :
libertas incepta magis : tibi postera laudes
Hesperio non pressa jugo meditabitur aetas,
Flissingaeque pari meritis, nisi tempore cedat.
Accensi exemplis animi, dum nemo recusat
monstrata semel ire via. Jamque unda Bamestrae,
jamque potens Enchusa mari, et contermina Flaevo
Maenia, et Frisiis quae separat ora Batavos,
contingens zephyro Frisios, aquilone Batavos,
elusere minas nil tale timentis Iberi,
seque urbes cepere sibi. Mea patria, Delphi,
Gaudaque, nomen aquae referens, Thuridresque secuti,
vicinumque tuae Gorichemum, Corbulo, fossae.
Inde et Bommelia, et Veronae proxima nostrae
Alcmera dives opum, sedesque futura Camenis
Lugdunum proavis habitata colonia Cattis,
inque salum quondam delapsi conscia Rheni.
Quanta fames illam, quae pestis, et altera pestis,
obsidio quam dira premet ? Tamen ille fidelis
libertatis amor, praefractaque pectora durant,
missaque servantur volucri mandata columba.
Urbs quoque quae magni cunabula jactat Erasmi,
non visura iterum caedes tot inulta suorum,
additur, et veteres Hispani dedecus undae.

Sed nec Bura diu, sed nec Schonhovia cessat
longius ; Harlemumque, Caninefatibus olim
culta viris, quorum serratis cognita rostris
ad Pelusiacos venit victoria fines,
haec tamen, ingenio quantum fas fidere Ibero,
exemplum decepta dedit, cum, mutua septem
mensibus exactis post proelia, spemque metumque,
dedita crudeli saevitum in corpora ferro est :
si tamen, o ferro tantum, neque poena fuisset
aequor, et infami letalis in arbore nodus.
Interea in Batavis dum tanta geruntur, ab omni
fervere parte Duces, armisque lacessere Maurum.
Ante alios fratrem Lodovici dextra juvabat.
Illius Hannonium cepit sollertia Montem :
victa Valencena est : hujus brevis usus : at illam
tempore post aliquo Dux cingit Ibericus urbem,
obsessaque diu praesens vix ipse potitur.
Gens Frisia, a multo jamdudum effrena, jugique
impatiens aevo, domini pertaesa ferocis,
jamque armis impulsa, ruit. Sed motus inanis
ille nimis, populique trucis deferbuit ira,
succedente metu, cum non patre mitior Alba
filius, in pariter trepidos tulit arma Sicambros.
Namque illos etiam, quosque alluit Isala campos
traxerat in partes magis imprudentia vulgi,
quam patriae cordatus amor. Didicere, quid esset,
non bene firmato meditari pectore bellum,
Zuthphaniae cives : nusquam crudelius actum.
Ingenii certamen erat, quae poena placeret,
qua sibi semianimes superessent morte negata.
Heu quot ubique ruunt utriusque cadavera sexus,
uxoresque virum, puerique ante ora parentum !
Isala fert primos, et corpora prima secundos.
Credimus, an mendax augenda fama laborat
invidiae, ut steterit congestis stragibus amnis,
an prope vera fuit : nisi (quod puto) gurgite pleno
prorumpens fecisset iter sibi sanguis, et una
haerentes traxisset aquas, secumque tulisset.
Ipsa fatetur, ab his vinci mala cuncta, vetustas,
at sua, Narda negat : quae cives, testibus aris,
(o scelus infandum !) truncatos vidit inermes.
Dira nec aetati, generi nec dextra pepercit :
praecipitata senum, puerum praerepta, virorum
fata fera violata manu : cecidisse sub uno
corpore quis binos, commortua viscera matri,
credat, et infanti nec visum lumen ademptum ?
Audiit hanc, veniens Brabantis victor ab oris
ductor Arausiades cladem, multasque sequentes ;
deque obiter partis sibi vix superesse triumphis
Nivellam, Grudiosque, et fluminis ostia Rurae.
Altior insurgit tamen, et navalia pugnat
proelia ; et in terris artatus, in aequore regnat :
audet et exiguis depellere viribus hostem
littore Zelando, Valachrorumque obsidet urbes,
Gertrudisque capit servantem nomina Bergam.
Nec minus Alba furens animi tamen, omnia versat,

successu caritura suo. Rapit omnia contra
adversum toties frangenti foedera caelum,
juratusque Deus. Seu Medemelaca jubetur,
sive dolis Enchusa peti ; jam prodita nostris
proditio. Sive obsidio placet ; Alcmera, Narda,
civibus ante oculos, cineresque et funera circum.
Haec sibi quisque timet : depellit cominus hostem
a muris armata cohors. Imbellior aetas,
Alcmeriaeque nurus, ingenti pondere saxa,
ferventemque picem, rapidaeque incendia flammae,
moenibus, et fracti jaculantur culmina tecti.
Sive habet, immissis ratibus, qua spectat ad austros,
infestum pelagus ; capitur praetoria puppis,
vinctus et hostilem trahitur Bossujus ad Hornam.
Amsteliamque urbem (namque usibus illa marinis
tunc famulata Duci est) domini prope paenitet Albae :
unica quae Batavum, patriae communibus ausis
defuit : ignorabat enim, quo tempore sese
foedere junxisset sociis, mox protinus ipsam
cessuram Rhodon, et Delum, bimaremque Corinthum,
ingentemque suis pandendum classibus orbem,
et loca, quae numquam credant habitata priores,
nulla futura sibi quae non sint invia soli.
Tot votis frustratus erat. Sententia sedit,
cingere Lugdunum. Titulo neque nobilis ullo
hac prior obsidio est : nam nondum venerat hora,
qua, dicamne urbem magis an civile sepulchrum,
eripuit tumido vindex Neptunus Ibero.
Amissus tamen ante locus, quo Mosa domatur
obice, et alludit Batavis innoxius agris :
et nostri quondam regni caput Haga futurum,
nataque deliciis sedes : ubi sacra senatus
consilia, et Proceres, et Curia nostra triumphat,
nunc Turenhoutanis, nunc Flandris aucta tropaeis,
fortia ubi toties superato sospes Ibero
pectora Mauritius victricibus exuit armis.
Sic reperit bellum plus, quam quaesiverat Alba,
cumque adversa sibi cuncta, et fluere omnia retro
conspiceret, patrias Coriae remeavit ad arces,
Toletumque suum, resonaret ut aurea, credo,
ripa Tagi laudes, Valachrae post littora terrae
perdita, post Batavos, quod non amiserat omnes.
Successor Requesenus adest. Hic meta laboris.
Tertius Albanis liber hic qui scribitur actis
desinit, et sextum consignat Borrius annum,
Borrius hac felix opera. Mirabitur hospes,
cum leget haec, Belgas tot passos summa, tot ausos
justius at cives. Diras cum solvet Ibero
Belgica posteritas ; scriptori praemia laudum :
quae libertatis merces manet una magistrum.

## HISTORIA OBSIDII LUGDUNENSIS.
### CONSUL PETRUS ADRIANI WERVIUS CIVES QUOSDAM TUMULTUANTES ALLOQUITUR.

S2_03 "O nimium facilis domino servire minanti

plebs, ignara mori ! Si vobis, debita cunctis
mors, tam grande malum, fuerant patienda Tyranni
jussa. Nefas, illos pro libertate moveri
servitii finem qui plus quam regna pavescunt,
nempe truces Albae furias, et dira catastae
supplicia, et decimas, et quicquid bella merentur.
Hi pepulere animi, non gens, in fata ruentes,
et queis summa mali, famulantem ducere vitam.
Quid mihi monstratis veniens a morte cadaver
et modo pallentes oculos ? Haec spectat Iberum
invidia, et populos Baldaei signa sequentes.
Si gravis usque adeo est, quam virtus prisca virorum
saepe tulit nec jussa famem, discedite, turba
degener, atque epulas dominorum quaerite castris."
Vadat, et intrepidam contactu liberet urbem
qui prece dignatur non longi temporis aevum,
servet ut in poenas animam. Non civibus istis
tempus eget. Sed nos quibus est sua patria cordi,
torrida dum nondum tenuis per viscera sanguis
aruit, adversus saturum pugnabimus hostem.
Proderit haec rabies, obsessoremque docebit,
quamlibet impastis gladium non posse negari.
Qui metuit tantum, ne se fera perdat egestas,
hoc armis debere potest. Trahat agmina secum
Hesperiae in fatum ; saltem, virtute coacta,
fortis et hostili raptat cum funere mortem,
vindex ipse sui, summaeque haud prodigus horae.
Languidus exhaustos cum jam non sustinet artus,
omnis in Hispanum civis ruat. Ergone Narda
excidit, atque ipsas mactatum vulgus ad aras,
quas miseris saevi jurarat filius Albae ?
Hoc placet, o cives, ad Iberica pacta reverti ?
Absit ; et hanc saltem Rhenus, me consule, pestem
nesciat. Hispano nihil est bellante putandum
tutius esse fame, strictos nisi militis enses.
An spes nulla patet, cui se pereuntia servent
corpora ? Nos igitur melius premet improba mentis
credulitas, quam justa fides, ut postera, quicquid
accidet, asscribat patriis erroribus aetas,
acceptumque ferant nobis, servire, nepotes ?
At quanto Ausonidum pro foedere capta Saguntos
fortius, Annibalis veniae quae praetulit ignes ?
Pro, pudor, exemplo si vincimur urbis Iberae,
nos quoque venturae Cattorum ab origine gentes
a fama celebrent non degenerasse parentum :
nec sine Lugduno memores referatur in annos
libertas Batavum. Quamquam deprensa periclis
non videt optatos hominum prudentia casus,
quid votis pendere vetat ? Tam justa tuentes
despondere animum scelus est. Habet ista faventem
causa Deum, siquid solitum credique meretur
Lugduno prodesse nefas. Pars utra sequatur
fas, jus, atque pium ; quae noster Arausius arma
induat ; an videat regnorum injusta, probetque ;
sanciet aeternum nova per miracula numen.
Cum deerit fractis omnis fiducia rebus,

incipiet spes prima mihi. Si terra negabit
auxilium, veniet totis cum fluctibus aequor,
occlusisque viis ibunt mandata per auras.
Succurret miseris quicquid natura recusat.
Si nihil haec prosunt, si certae pignora vitae
quaeritis, et video jamdudum infensa loquenti
quas paret ira minas, nihil hoc terrore movemur.
Quicumque esse potest perituri corporis usus,
accipite. Infecto quae manat ab aere, tabes,
an fragiles artus penuria solvat edendi,
an furiosa manus, quae vestra est sola potestas,
nil moror : huc omnes ignavi vertite ferrum,
mergite adhuc siccos in sanguine consulis enses.
Me, patriam, et leges et nomina vana cientem
scindite. Quid fertis prohibentem alimenta pacisci,
qui cibus esse potest ? Consumptis omnibus escis
jam dudum mensae, quas non novere priores,
humanis dapibus superest homo. Rodite justis
partibus aequali divisum vulnere corpus,
et semel insueto jejunia solvite morsu.
En ultro jugulum mortemque vocantia vobis
membra fero. Tantum precor hoc pro luce ; refecti
visceribus vestris, servantes moenia, paucos
exspectate dies, dum, qua licet, omnia Princeps
comparat, et socio veniunt a littore classes.
Hoc satis : ante jugum moriar, trabeasque relinquam.
Sospite me, Batava non stabit in urbe potestas
major, et, aut leges et libera jura manebunt,
aut frustra me quaeret Iber. Sic ille profatus
ediderat Batavo dignas et Consule voces.

## ORATIO AD MILITES QUOSDAM CONSTERNATOS POST VICTORIAM NEOPORTANAM.

S2_04

"Sanguinis hoc igitur pretium, tantoque labore,
quaeritur e victi terris fuga ? Classibus aequor
teximus, hostiles turmis oneravimus agros,
scilicet, ut liceat Flandra tellure reverti,
totque simul populos, et tanta moventibus arma,
in votis exire fuit ? Num Scotica virtus,
et qui de Valachro veniebat littore miles,
cum periit nobis, hoc credidit ? Ah nimis illi
vilis vita fuit, cui contigit unica merces
quod sociis abiisse datur. Quin agmina tanta
cum premerent, nec spes miseris foret ulla salutis,
talibus inter se firmabant pectora dictis :
state viri, patriae certas impendite mortes.
Quo caditis campo, quem vester sanguis inundat,
hostibus iste perit : non victe, sed obrute miles,
qua potes, arva tene victori Flandria cedet.
Si qua fides, cras in Batava tellure jacebis.
Scilicet aeternos tumuli florentis honores,
et memores titulos, structas et in aggere praedas,
Nassaviaque manu solatia fortibus umbris
sperabant. Queis si meritos a morte potiri
non fuit, at melius certe fortuna negasset.

Nunc ultro nos illa reos agit : arma virosque
implorans. Superum nescimus dona tueri.
O scelus ignotum nullis non hactenus armis !
Egregii manes caelo pelagoque teguntur.
Quis socios vicisse putet ? Praecidite funem,
deserite infaustum littus, terrasque nocentes.
Talia quis loquitur victor ? Dic, improbe miles,
quid faceres alius, traheret si compede saeva
Mauritium Mendoza ducem ? Quae praemia belli
cepimus ? Alterno mutatum sanguine littus,
captivumque senem ? Quis enim ferat, hostibus istos
exprobrare fugam ? Nam quod Burgundica signa
ostentant Hagae, nihil est, haec posse videri :
quae melius Brugis Gandavique arce locassent.

ANNALES DOUSARUM.

S2_05

Ultima decrepito currunt dum saecula mundo,
Maeonidae post tempus, Aristotelisque superbum
ingenio, metuens jamdudum effata videri,
ausa recollectis uteri conatibus uno
quicquid erat veterum partu superare recenti,
Dousiadem natura dedit, legumque suarum
transfuga felici tam seri temporis aevo
aetherium donavit opus : te, Dousa, parentem
caelesti dedit infanti, qui lucis in oras
editus ipse sua tellurem luce bearet,
aemulus astrorum radiis. Surrexit in altum
igneus ille animi vigor, et sublimis origo
propulit ardentem. Non illum prisca latebant
tempora, non longos quot mundus vixerat annos,
non loca, non toto nobiscum dissita caelo
Australis plaga saeva poli, ceu, quicquid ubique
conspiceret sol ipse, suo dictaret alumno.
Nec vili contenta solo nostratibus haesit
partibus, in patrium sed mens migravit Olympum ;
caelitibusque dedit leges, et ut ordine justo
sidus in aetherios se quodque revolveret orbes,
metator caeli fuit, astrorumque magister.
Tandem ubi per paucos terras contempserat annos
spiritus, angusto nimium se carcere claudi
indignatus abit, repetit sua sidera Janus
lustrorum vix quinque senex ; quemque ante tenebat
ingenio, nunc totus habet, nunc libet Olympum,
fortunaeque vices, et rerum lubrica ridet.
Jamque Lyram pulsat fidicen, quae proxima Nixo
signa tenet, cantatque Deum, mundique figuras,
antiquumque chaos : miratur carmina Delphin,
atque novo nuper ditatus sidere Cygnus.
Succinit ipse aether, et ducunt astra choreas.
Ipse supernati sedem sibi legit in aula,
unde suis vultu Batavis affulget amico :
quaque potest, contra Belgarum nominis hostes
fata movet, nobis felices temperat urnas.
At, vos Dousiadae, salvete. O posthuma proles,

annales, fidi quos patria pignus amoris
servat, et hac totum circum mare navigat aura,
antiquas Batavum sedes, oriundaque Cattis
nomina, Romulei socios fratresque vocatos,
imperii raramque fidem, cui tempore tanto
depositum vitae dominorum credidit orbis,
audiet extremus Ganges, Guineaeque colonus
audiet, et jam non ultra pars tertia terris
afer, et Hesperiis subjecta securibus omnis
India, in occiduum late qua tenditur axem.
Quae Didricos tellus nostros, quae nesciet aetas,
et Frisios domitos, et Trajectina Batavum
proelia ? Dousiaden jam jam, Dousamque parentem,
qui canit Arctoo fusas ex littore classes,
in quo Janus adhuc nobis genitore superstes
vivit, et exspectat non frustra digna laboris
supplementa sui, totus legit orbis, et ambos
aeterno super astra vehens dignatur honore,
ambos laude pares, hunc vita, hunc morte priorem.
Posteritas totidem, quos grata remunerat annis,
quot nobis, tribuere suis annalibus annos.

MATHEMATICA PRINCIPIS MAURITII.

S2_06
Quis liber aetherios census, et divite charta
naturae partiris opes, Niline papyrus,
et Pelusiacae tibi decrevere paludes
inter Mercurii tabulas, aut sistra reperto
Isidos, et vultus imitantia signa ferarum ?
An vetus aula Phari genuit priscique Necepsi
archivis servata manus ? Te Bactra dederunt,
an Ninyae domus, et magni penetralia Beli ?
An decus hoc partus exploratricibus undis
Rhenus habet ? Batavo natales amne probati
promeruere fidem : nobis ea gloria surgit,
quaeque nec Euphratis populus, nec civis Eoi
audiit : invictum solitus qui quaerere Mithram
Assyrio ritu magus, et prece cogere Lunam,
aut exoratos omento ducere Divos :
nec tumulis ignem celebrat qui messe Sabaea,
fertque Deo sua dona Deum, nec torrida Memphis
fertilis Arctoi sedes tulit ultima mundi.
Sunt animis rebusque vices. Sapientia migrat
ipsa, nec immotas retinet per saecula sedes.
Principio Danaes populos habitarit, an Indos,
ambiguum : certant Babylon, et regia Nili,
Brachmanumque genus : nec vos, pia turba, silebo
Celtarum Druides, quorum commenta tegebant
avia lucorum, concretaque robora visco.
Gloria in incerto est : vestigia prisca supersunt
temporis, et quantum satis est periisse videri.
Graecia successit studiis, Cilicesque, Samosque
et Pandioniae multum dubitastis Athenae,
Socratica praeeunte domo. Radiantibus astris
parcus honor Latio : securi discere caelum,

asservere manu terrarum regna Quirites.
Vana superstitio, legem donare futuris,
figmentoque favens nimis, et sibi credulus error.
Ausoniae tantum placuere potentibus aulae
hactenus, et septem tetigerunt sidera montes.
At serus plus vidit Arabs, Nabathaeaque diri
regna Muhammedis, pelagique extrema rubentis.
Hos egressa sinus ratio sibi conscia caeli
nunc ad Hyperborei glacialia venit Olympi
culmina, divinas huc postquam transtulit artes
Tycho Getes, radiansque suis Copernicus astris.
At neque privatis contenta penatibus ultra
tangit Arausiacis parentem legibus orbem,
hospitio dignata Ducis, qui gentibus astra
dividit, et terras, et, quod tenet omnia, caelum
unus mente tenet : cui maximus imputat aether,
jam nosci meliore fide, tantumque moventi
miratur patuisse polus. Quae saecula credent ?
Ille pater patriae, cui jam bis septima vincit
messis, et Hesperios exarmat dextra furores,
cornua dum Rheni toties, Vahalimque Sicambrum,
fulmineo Mavorte domat, Mosaeque rebellis,
moenia, Palladias animum demittit in artes,
evincitque suam non una laude Minervam :
nec satis est superatus Iber ; victoria, mundus
major ; et immensus, rerum natura, triumphus.
Sic alterna juvant : sic post tot castra, tot arces,
post clades, Turenhouta, tuas, et Flandrica nuper
littora, Varaxi multum laetatus opimis,
Mendosamque trahens, inter squalientia campis
funera, et Hispanis infectum caedibus aequor,
tranquillum meditatur opus, sibique otia rebus
indulget graviora suis, et cedere regum
exuvias, caeloque jubet servire tropaea :
qualis ab Hesperio quondam Tirynthius orbe
victor, ubi solis nocturna cubilia Gades
liquerat, et triplici terras rectore madentes ;
Geryonae dives spoliis, Atlante remisso,
sustinuit superos, et post fera jussa novercae
extremus labor astra tulit, meruitque ferendo.
Jam bellatorem Macetam mirata vetustas
desinat, Iliacas quamquam sub casside pugnas
legit, et Euphrati Gangem cum jungeret armis,
carmine praelatum sibi suspiravit Achillem :
Aeaciden, Hecubaeque faces, et amore feroces
discere Tantalidas, Ithacique bilustribus armis
aequatum pelagus, quae gloria desidis haec est
temporis ? Ille, cui tellus angusta triumphis,
cum peteret plures, unum male noverat orbem.
Mauritium majora decent, nec Pella, nec Ammon
huic animo genuere parem. Cum classica cessant
victrices stridere tubae, quae verterat urbes,
est radiis armata manus : vocat alter euntem
pulvis, et inscriptum formarum ductibus aequor.
Tunc fata exigere, et totos penetrare recessus,
Nassaviasque datum sub leges mittere mundum.

Non tantum Germanus eques, Rhodanique catervae,
quosque sub hibernis Alpes aluere pruinis,
huc frameas et gaesa ferunt : non Belgica tantum,
non Frisii, Latioque ausi se dicere fratres,
gens invicta mari, non aequore cincta Britanno,
quaeque Caledoniis horrescunt agmina silvis,
in numeros, et signa ruunt : venit ipsus Olympus
ad lituos : Leda venit concordia fratrum :
Argolicum mutavit herum, fassusque laborem
deficit Alcides, et cum duce vincere vellet,
Mauritio minor it Perseus, neque tantus Orion :
militat ipse pater Mauris, et sidera Divum
conjurant, fertque arma sibi contraria vesper.
Gratulor hoc nobis, Batavi ; caelumque sub uno
vivimus imperio. Tuque, o Germania, tantis
quam quondam imposuit populis caput, incluta gaude
Lugdunum, neque te Romani gloria Montis
tam juvet, aut veteri Cattorum ab origine regnum,
quam famulum vidisse polum : tu patria libro
principis ; hunc ipsae voluissent scribere Parcae.
Hunc amet Uranie tanto didicisse magistro.
Praesens numen adest : multumque oracula rerum,
plus auctoris habent. Nec enim tam Delphica rupes
certa canit, nec virginibus bacchata Sibyllis
antra Deum, quam scripta Ducis, queis semina rerum
et Palamedeae momenta potentia summae,
sacraque Pythagorae numeros, nec cognita priscis
pondera, metiri labor est, abacique figuras.
Huc omnes coeant animi : quaeque aethera totum
provocat ingenio, caeli spatia ignea lustrans,
ardentesque a sole vias, huc longa vetustas
confluat, et victam sese miretur in uno.
Nil Cnidos objiciet Batavis ; nil moenibus ultra
Pellaeis, Megaraeque damus : Salaminia tellus,
ostiaque aestiferi cedent Pelusia Nili.
Sic quoque victus Iber : scrutatoremque profundi
aetheris Alphonsum superavimus, Hesperus illi
quo suus, aut solem propius vidisse cadentem.
Et tu nequicquam patriis excepte ruinis
Marcelli victoris amor, ferventia mensus
littora, et innumeras primo inficiatus arenas
das palmam non sponte Duci, titulumque sepulchri
dissimulas, clausum jactas nec in orbe Cylindrum.
Atque utinam, cum tu despectans curva Pachyni
littora in Ausoniam torsisti fulmina classem,
ille Syracosias potius sedisset ad arces
dux Italae pubis : nec enim victore perisses
et jam Sicanios curru raptante triumphos
vellet Arausiades etiam te vincere Ductor.
Non Arethusaeos magis admiratus amores,
et flammas coeuntis aquae, quam caerula cursus
aetherei spatia, et fragilis mendacia mundi,
sidereoque tuam noctem radiare metallo :
quin potuit monstrare tibi certamine vitri,
se melius praestare Jovem : sive iret in artes
Bellonae, raperet medias ex aequore classes

sublimi per inane fuga, suspenderet urbes
aere, telluremque nova tellure moveret.
Audax ingenii, postquam satis aurea vertit
astra poli, caeloque suas circumtulit horas,
ad terrena redit, nihil hic superare relictum.
Ipsa animo natura minor, furtoque latentes
Mauritii felix repent solertia causas :
invenit in Terrae venas iter : unde Vesevi
flamma jugis, Hieraeque faces : quibus Aetna caminis
ardeat, et quantis eructet fluctibus ignes
saeva polo : quae tanta coquant incendia terras,
quid faciat montes, sparsasque per aequora cautes ;
quid per operta soli, per credita manibus antra
depositas submittat opes : cur aequora turbet
seditio, dum Luna procul pendentibus undis
erigit Oceanum dimissaque caerula rursus
reddit aquis : quae sit ratio crescentibus arvis :
unde Paraetonio fecunda licentia Nilo :
cur ruat in Borean Arctoaque sidera magnes,
ceu terram ductante polo : quis molibus undis
arva neges, et jussa feras in littora Pontum.
Praevertit mens omne vigil : tot saecla tenebris
damnat, et humanis solvit miracula curis.
Multa dedit vitae diversi temporis aetas
sic artes partita sibi. Nec parva reperta
detrivere dies, et nondum nota reponent.
Multa latent, nostrique fugit commercia sensus
indeprensa fides : adversumne astra lacessunt
orbis iter, pensantque fugam labentis Olympi ?
Credimus ? An terrae referuntur deside mundo.
Nosque rotat vertigo soli, nos currimus annum,
invitique diem rapimus, dum fluctuat aer
vastus, et octavo trepidat vaga sidere tellus ;
namque etiam nostris (mirum) sub passibus infra
tot populos urbesque premi, mersasque videri
alternis gentes, non omnis credidit aetas,
cum parce tentata fides maris, et sua tellus
grata satis, pelagusque novos submoverat orbes.
At nunc auriferum velis arcessimus Indum,
Sinarumque plagas : dum vota fugacibus auris
credimus, et dubio deponimus aequore vitam,
nulla remota satis sunt littora, quaque cucurrit
lyncibus Eois ingens ululatibus Euan,
et qua pacatis statuit divortia terris
maximus Alcides : neque gentibus ultima Thule.
Jam sacra Parrhasii secreta reteximus Axis,
Arctoumque chaos, pereunt ubi terra tenebris,
unda gelu, nebulisque dies, et noctibus anni :
tantum tristis hiems, et cano gurgite Tethis,
regna tenent habitata feris, Boreaeque furenti
pervia. Victores quo pervenere Batavi,
non potuit sol ipse sequi : Naturaque rerum
interit a nostris nondum deserta carinis.
Quin etiam oppositum patriis sulcavimus aequor
fluctibus, atque tua puppim religavimus, ora,
quae Libyen Asiamque simul, quae virginis aequas

littus Agenoreae, rerum pars maxima, seu tu
Cecropiae fueras Atlantica terra senectae,
seu procul atra fugis nostrae contagia vitae
hactenus antiqui saeclo servata metalli,
et vel adhuc ignota fores, nisi dira libido
Baetin et abstrusi sitis insatiabilis auri
ferret in abruptum. Quam nunc America velles
indomita cervice mori ! Quam pondera clavae
in dominum sociis cuperes librare Batavis !
Nec tantum qua regnat Iber, sed fervida terrae
claustra Magellano nomen debentia nautae
perfregere rates, et mundi foedere rupto
adversi coiere poli : stetit aequore classis
nostra suum mirata diem, stupuitque reversam
temperiem, et patrios alieno cardine soles.
Signiferi flammae dextros referuntur in ortus,
et paria haud pariter nobiscum sidera surgunt.
Terra Noto subjecta jacet, supraque Canopum
Austri signa videt : tantumdem possidet axis
Mauritio fulgore minus, quo vincitur astro.
Salve prime ducum, libertatisque reductae
magne parens, et vince diu : tibi capta Batavae
rostra ferant puppes, et totum serviat aequor.
Imperii dos ista tui est. Cum prima juventus
post scelus Hesperium patriis successit habenis,
ingentem pelago debellatura Philippum
Bellonae concurrit hiems : ardentia transtra
viderunt Morini, formidatasque Britannis
velivolas acies non solum perdidit aequor,
bella etiam nostris ratibus pendentia maeret
et raptas Tartessus opes, quaeque arva priores
fortunata vocant : tibi consummatur in orbem
orbis iter : toties mutata navibus umbra
dum redeunt perit una dies, damnoque probantur
artati rerum fines includere Fasti.
Inde fretum, semperque novo sub sidere terrae
in nomen crevere tuum : tu proxima Plaustro
regna tenes, titulisque tuis inscribitur ortus :
sceptra maris dominum te nunc Eoa salutant,
legatique procul supremo littore missi
Taprobanes socias inclinavere tiaras.
Sis felix, studiisque fave. Nil cara morabor
tempora solemnes domino meritura triumphos.
Jam ferrum belli maculis insigne coruscans
vertice despectas acies, dum cornua jussum
concipiunt, lituique sonis eliditur aer :
at sonipes tibi Marte calens, et murmure rauco
in turmas, inque arma ruit ; tremit aerea cassis,
et cono radiatus apex, et flammeus auro
discutit umbo jubas, spargitque a pulvere nubes.
Moenia vel quassas, collapsurumque superbae.
Turris opus : tua vel circumdas agmina vallo,
cogis et invitos famulari legibus enses :
aut ubi Pierii studiis placuere recessus,
hic quoque castra locas, bellumque per otia ludis,
et pugnae simulacra cies. Jam pingit arenam

et loricato metatur limite campum
ingeniosa quies. Alias, servator Olympi,
mente vaga transis hominem, mundoque potiris.
Mox cadit in terras animus, vel frenat habenis
canitiem spumantis aquae, caecumque per aequor
quaerit ab occasu quae linea separet ortum.
Saepe agitas consulta togae, cum teste Senatu
arma moves, clademque truci promittis Ibero.
Saepe magistratus populis, belloque magistros,
ductoresque legis, patriam partitus in omnes,
aut vitae das jura reis, parcisque severis
legibus, et venia vindictam judicis aequas.
Horarum pars nulla perit. Non parcior aevi
Scipiades, curis indelassabile pectus,
perfidiae terror Libycae, qui transtulit in se
Annibalem, prohibens Tarpeiis arcibus ignes :
nec, cui debentur Latii primordia regni
Caesareumque tuo transmissum nomen Adolpho,
Julius. Hic, quamquam dubio minus ordine, jussit
ire diem, Phoebumque novum versavit in orbem,
et domito fastos audet praeponere Rheno,
arma tamen fascesque tibi submittit, et annum.

## MYRTILUS, SIVE IDYLLIUM NAUTICUM. AD DANIELEM HEINSIUM.

S2_07 Prima mihi, silvis et amoeno fonte relicto
fistula ad Oceani fluctus, et ad aequora venit,
aequora quae Batavis potius cantanda poetis.
Nam neque me tantum saltus, aut pascua circum,
aut Hagae nemus omne meae juvat, invia quantum
littora, pendentesque domus, scopulique cavernae.
Non audita cano. Labor hic tibi sumitur, Heinsi.
Heinsi, noster amor, si quid mea carmina possunt,
te Libycus Garamas, te Java loquetur, et Indi,
et puppes Austrina ferent ad sidera caeli
Dia Sophocleo tua pulpita quassa cothurno.
Dicite, formosae Nereides, inclyta Ponti
numina, quas voces, quae carmina Myrtilus inter
aerias rupes, et respondentia saxa,
Cochlidis insano jactarit saucius igni.
Jam defuncta malis pelagi ratis, acta per altum,
venit ad hos fines, ubi dividit insula pontum
cara mihi, et solo notissima Cochlidis antro.
Tiphi ratim serva : si nox collegerit Euros,
anchora demisso descendat in aequora ferro ;
aut littus praetexe, malus si saeviet Auster :
sed brevia, et rapidos aestus fuge : dextera multis
est via caeca vadis : securius, ire sinistra.
Cochli, quid exspectas ? Quin, ut prius ipsa solebas,
prospicis intonsi specula de montis in undas,
meque procul reducem longo clamore salutas ?
Heu ! Quis mutavit mihi te Deus ? An tibi pectus
transversum novus egit amor ? Ne fallite nautae,
sumne alius, quam nuper eram, cum candida Dorcas,
diceret, Hesperiis Dorcas praelata puellis ;

pulcher es : ipse tibi, me judice, cedat Amyclas.
Illa quidem dixit : sed vix ego credulus illi.
Ipse tamen, tamen in placido me flumine vidi,
hirsutasque genas, et latae frontis honorem,
et roseos crines, et caerula menta notavi,
qualia vel Neptunus habet, vel qualia Nereus.
Testis anus Crotale, quae ter mihi, Myrtile, dixit,
despue : lingua tuos ne fascinet invida vultus.
Haec eadem canto, quae cum cantaret Arion,
mulceretque Deos pelagi, circumstetit omnis
Delphinum chorus, et vatem servavit in undis.
Scilicet aut Boreae veteres et Erechthidos ignes,
aut Phorci laudes, aut caeruleam Amphitriten.
Aemulus at concha mihi perstrepit aequora Triton,
miranturque sonum Panope, Panopesque sorores,
et Proteus, et Glaucus, et Inous Melicerta.
Heu placeo Nymphis : at non tibi : sola marinos
despicis amplexus crudelis, et oscula vitas.
Quem fugis, ah demens ? Secuerunt Di quoque Pontum,
et magni Minyae Reges, et primus Iason
per freta duxerunt abituram in sidera puppim.
Navifragis jactatus aquis incendit Ulysses
sole satam Circen, Atlantiademque Calypso,
et sibi Nausicaae tales optavit amores.
Quid juvat, illa suum si me fastidit Ulyssem,
quae mihi Nausicaa Circe prior, atque Calypso ?
Saepe ego te vidi, meminisses improba Cochli,
cum per arenarum tumulos, et littora, conchas
Oceani legeremus opes : nam tunc ego primum
cum patre tentavi raucum mare, veris adulti
tempore, necdum ulla pictus lanugine malas.
Saepe etiam, sera quoties sub nocte venirem,
siccasti aequores manantes imbribus artus.
Nec te paeniteat : prius hoc quoque fecerat Hero,
cujus ego et turrim Sestaeo in littore vidi,
nataque collegi vicinis ostrea saxis.
En etiam tibi dona fero miser, en nucis Indae
pocla, quibus potavit Arabs, Sinisque petitum
fictile. Non alias tremui propiore periclo,
et, nisi Leucotheen mea tunc in vota vocassem,
infelix Stygias ivissem nauta sub undas.
Quin et Teutonicis mecum fero condita testis
smegmata, in Oceanum labentis munera Rheni.
His etenim Batavi, soli sulcare periti,
puppe salum Batavi, caeloque indicere ventos,
Martia gens toto pelagi divisa profundo,
mense quater rutilant nodatos arte capillos :
hoc ego pigmentum poscenti nuper Erinnae
(nata fuit magni Barcemonis illa) negavi :
quamvis multa diu per Dorida, per Galateam,
per Thetin, erroresque meos quemcumque per orbem,
luminibus paetis, et blanda voce rogaret.
Et poteram donasse tamen : nam saxea non est.
At tu nil misereris : in hoc ego pactile sertum
effundam rabido flagrantes corde dolores.
Ipse tibi Rubro praedatus in aequore silvam,

alternas laurus, et Medica mala jugavi.
Nunc labor ille perit : nam tu mea munera curas,
quantum dura silex pontum, vel littora pontus.
Huc ades, ut casta velatus tempora quercu
Portuno ante alios, et Dis, quorum aequora curro,
sacra feram, reddamque reus solemnia vota,
quae rerum Oceanus genitor, quae Tethys, et ipse
nympharum accipiat Nereus pater. O mea Cochli,
huc ades, ut cellis mecum deprompta Falernis
musta bibas, caesaque canens epulere juvenca.
Aut si forte juvant thynni mollesque platessae
te magis, et soleae, mecum piscabitur Olpis.
Est mihi namque domi non invidiosa supellex,
fiscellae virides, nodosaque texta plagarum :
filaque, et haerentes maculis humentibus algae,
cum labyrintheo plexis errore sagenis.
Sunt jacula, et tumido fluitantes cortice fundae.
Pendet et aequoreo decori letalis arundo,
setaque, et impliciti lumbricis pinguibus hami.
Quid loquor infelix ? Cochlis nihil audit, et idem
qui mea vela solent venti, mea verba tulerunt.
Si tibi dulce mei nihil est, o ferrea, vere
ferrea, dulce tamen mea mors erit : aspice tantum.
Ibo per has cautes, summoque cacumine lapsus
deferar in fluctus : nomen mihi debeat aequor,
Myrtoumque novum fiat mare : vivite rupes.
Fallor ? An huc Cochlis respexit, et omnia circum
flabra silent, blandique favet pellacia Ponti ?
Hic recubans cantabo : jubet locus, altaque subter
saxa supercilio cohibent umbracula rupes.
Cochli, quid in solis consumere cautibus aevum
te juvat, et pensis viridem donare juventam,
dum teneros multo digitos subtemine lassat
mater anus ? Nostram potius conscende carinam.
Illic et vitrei fluctus et marmora Divum
prona jacent, speculoque sali stat solis imago,
et picturato resplendet in aequore caelum ;
sacraque Naturae miracula, gurges aquarum
insequitur Phoeben, caudam Cynosurida magnes.
Quid mirum ? Sua quaeque trahunt : te, Myrtile, Cochlis.
Illic falsa salo labentibus insula, cete,
et validae pistres, et physeteres anheli,
phocarumque natant examina : pompilus illic
per mare veliferum puppim comitatur euntem.
Illic nata Venus, comitata Cupidine parvo,
nunc etiam concha patrias quae navigat undas,
nudatoque sinu pulcherrima Cymodocea
captat in apricis vernantes fluctibus auras.
Nam neque semper aquae furit implacabilis aestus,
ventorumque fremit laxato carcere vulgus.
Sunt etiam Ponto sua gaudia ; saepe per aestum
gurgite pacato ridet mare : saepe remotis
Vulturno, et Borea, pluviamque cientibus Austris
Oebalios tantum Zephyrus suspirat amores.
Longa ministeriis sunt otia, pace serena
mitia cum placidi requiescunt terga profundi

altaque languenti descendunt cornua velo.
Aut igitur tacito luctantur in aequore tonsae,
aut ubi jam ferrum premit unco dente carinam,
nos genus irrequies, alii, quorum indiget usus,
buxea ligna damus rudibus tornata figuris :
pars facilem oramus reditum, ventumque ferentem
ingentes in puppe Deos : pars sidera caeli
metimur radio, et totum describimus Axem.
Sollertis labor ille Tyri : quae prima meatus
aetherios, et signa Polo labentia vidit.
Tunc nosci caepere Ferae, custosque Ferarum
Arctophylax tarde pelagum subiturus ; et alter
ille quis est, lucet trino cui balteus igne ?
Heu miser excludor, duraque in rupe relinquor
imbribus : ipse parat radiis liventibus atrum
sol Tartessiacis immergere fluctibus orbem.

INAUGURATIO REGIS BRITANNIARUM ANNO MDCII.

S2_08

Bina Caledoniae sociantur regna coronae,
bisque novum Jacobi debetur crinibus aurum.
Hunc sibi, quem possit cunctis impendere saeclis,
delegit natura diem. Tria sceptra profundi
in magnum coiere Ducem donumque Britannae
Tethyos ad cultus tandem revocata viriles
gaudet Hydaspeis incendi purpura gemmis.
Ille diu votum populi, qui voce petitus
unanimi procerum, qui, si non jura dedissent
sanguinis, imperium potuit virtute mereri,
rector adest, viduasque manu transumit habenas.
Nubila disjiciat Phoebus : placidique serenum
principis ignaris ostentans gentibus aether,
sic Jacobum regnare probet, lucemque Britannam
mundus agat, quam vix tenui caligine turbat
Juppiter, et caecas prohibet succedere noctes.
Anglica dum solitae peragit solemnia pompae
majestatis honos, sceptroque insignis avito
Scotus adoratur Normanni nominis haeres,
regia solares teneant spectacula currus,
totque dies eat una dies : fax aurea nusquam
occidat, et soli tenebris damnentur Iberi.
Tuque parens rerum (nec enim mentita vetustas
omnia) quo primum complexo informia regna
emersit natura rudis, praesentia priscis
quando fidem faciunt, et te jam pignore tanto
credibile est genuisse Deos, age caerula major
Oceane, extremum nunc te procul addere ponto
littus, et invita quamvis fac crescere luna.
Sume animos a rege tuo, meliore levatus
sidere, nec cela populos quocumque calentes
sole, per immensum quem circumvolveris orbem,
quis det jura mari. Sciat hoc ferus axe nivoso
Sauromates, sciat hoc Libyes ardentis alumnus,
et qui Bosphorias arces, quique ultima servat
Ecbatana, et patrii custos Gangeticus auri.

O mihi si nulto deses torpore juventus,
mensque capax oestri tantos perferre tumultus
audeat, an potius sceleratae crimina Phlegrae,
Thebarumque nefas toties, et moenia dicam
Hectorea defensa manu, quam Nereos almi
Orcadas et refluo pendentem gurgite Thulen ?
Teque o Juvernae qui littora quique Britannos
tot quondam validis partitum gentibus orbem
unus habes, quantus mihi ferret in aethera cantu
spiritus, imperio simul et virtute parentum
majorem, regnoque decus ? Sed summa potestas
impatiens modici, nullisque aequanda Camenis
terret adhuc, non ipsa mihi Parnassia rupes
plus uno possessa Deo, coetusque sororum
sufficiant. At si qua tamen nos ire per altum
aura jubet, majus sedeat mihi pectore numen.
Ipse veni, viresque tuas, sonitumque beatae
da, Princeps Auguste, lyrae. Tua sola per orbem
implicuere sibi nostras diademata laurus.
Nam quis velivolas acies, fluctusque cruentos
Ionii (par ista Cypro tum reddita clades)
nesciat, extremos etiam cantata per Indos ?
Tantus et heroas patrios qui dicere posses
solus eras. Quae cura Dei, non simplice regum
sanguine, non quovis quod te demiserit ostro,
sed quo nobilius nihil est, aut laudis avitae
ditius, et digno naturae principe nasci.
Certa ducum retro series, sed cujus origo
Oceani cum fonte latet : seu credimus, orbis
mersi relliquias, cum littora prima sequendi
jus fuit, et visos ventis arcessere montes,
hic quoque, post tantos fluctus jam longius ausos,
humanum reparasse genus : seu feta virorum
Celtica gens populos Aebudum misit in aequor,
Artabricae pertaesa plagae ; mox major Ierne
cepit, et in veteres Brittonum transtulit oras :
seu propiore fide Scythici commercia restant
nominis, et multum crudae virtutis imago :
seu quodcumque genus, soli non invidus aether,
stare diu nullisque dedit succumbere saeclis.
Jam toties redeunte polo bis dena per orbem
circumflexa tulit centenus saecula Titan,
signa Caledoniis steterunt cum Scotica campis,
Fergusii clangente tuba : manet ille nepotum
sanguis, et in sobolem cognata potentia durat.
Interea vires Macetum, fascesque Latinos
vertit longa dies, nullaeque a tempore tanto
succedunt in sceptra manus. Quid fata parabant ?
Tam constans aut unde favor ? Cur Scotica tantum
nil annis injura licet ? Tu scilicet olim
accepturus eras : te conscia fata verentur,
inque suas cum regna vices damnaverit, unum
excepit fortuna tibi. Licet omnia casus
magna suos metuant, Jacobo promissa potestas
cum terris pelagoque manet. Quae, sidera gentis,
Stuartos Proceres, et te Duglassia virtus,

musa canat ? Paucisque datum duo tangere sceptra,
bisque atavos numerare duces utriusque Britanni,
et totum regale genus. Vetus iste tuorum
est labor, et memores ingentia nomina magni
sanguinis Albino sacrarunt carmine Bardi.
Nos propiora vocant. Quae, te cum traderet aulae
prima dies, caelumque suo spoliaret alumno,
astra polo fulsisse putem ? Terrasne revisit,
et sua nascenti donavit saecula virgo ?
An chelae fulsere pares, an cardine Eoo
Caesaris Augusti capricornus reddidit ortum ?
Arx habuit suprema Jovem : nil triste minanti
sole Cleonaeum radii pressere Leonem,
qua cordis flammatur honos. Praesagia lecti
blanda Venus Geticas placide respexit ad Arctos.
Fert visum Majae soboles, manifestior ignis
Phrixeas ostentat opes. Cur omnia candent
astra Lyrae ? Regine fides praelusit Iernes,
an vatem lux ista dabit ? Nam fulminis ales
major Arionium cernit clarescere sidus.
Quid, quod cyaneis nil territa rupibus Argo
tota patet, trinisque nitent convexa coronis ?
Tunc Gades tremuisse ferunt, quaeque ultima Phoebus
regna videt, nondum vicino flumine mersum
quaesivisse diem : Rutupinaque littora gemmis
luxuriasse novis, quales nec divite concha
legit Erythraei populatrix turba profundi.
Sponte sua nato stupuerunt melle Brigantes.
Passim etiam venae rutuli fluxere metalli
largius, et pontum non ausa lacessere flabra,
alternus tacitas cum falleret aestus arenas.
Regnorum pax ista fuit. Pater ipse Tuaeda
et vitreis Solvaeus aquis, quo fine secatur
Albion, et juris faciunt divortia ripae,
delituere vado, testataque flumina, nullum
imperio se ferre modum, cum fata dedissent
terrarum commune caput. Sic Herculis ortu
mundus signa dedit : sic nato forte Lyaeo
sobrius ignota gemmabat vite Cithaeron.
Quam festinus honos ? Fert ad cunabula regum
patria, et altricis dum parvus ab ubere pendes,
non intellecta dominum te voce salutat.
Nec tenuere rudes privata crepundia sensus :
ludus erat diadema tibi. Reptantis in ostro
principibus jurata salus, et publica signa
vagitus texere tuos. Vestigia quantae
indolis, ut primae rupere silentia voces
praestructae matura loqui ? Quodcumque parabas,
non pueri, sed regis erat. Primaeva senectus
fulsit in ingenio : timuit prudentia justum
exspectare diem, latuitque sub actibus aetas.
Talis in Idaeo tentabat fulmina luco
parvus adhuc, (si vera canunt) similisque sorori
Juppiter, et tonitrus terrebat mumure matrem.
Mirati puerum comites, Dictaeaque circum
tympana Curetum manibus delapsa tacebant.

Nec minus in tenero meditantem pectore regnum
te Proceres stupuere tui. Mens alta negavit
vota sequi. Semper spes a properante relicta est,
praelatusque labor : quantum non cura magistri,
praeceptrix natura fuit. Non barbarus error
traxit in exemplum, quaeque est nunc gloria regni,
scire nihil : sed enim puero perlecta vetustas,
Grajugenaeque duces, et quondam maxima bellis
res Italum : quo jure feras compescere gentes,
quo veniat servanda quies : nec claudere vallo
bella, nec armatas nescis committere partes.
Sic tua Mavorti quamquam pacata juventus
incubuit, nec plus quisquam profecerit armis,
ut quaecumque vocent olim discrimina, factum
inveniat Bellona ducem. Tum siqua vacabant
tempora, quae studium, quae regni cura remisit,
non vitae pars ivit iners : Permessus in illa
jus habet, et raris potatae regibus undae,
hic quoties odiis incensum, et virginis igne
Aeaciden, semperque moras errantis Ulyssi
percenses animo, non pagina mallet Homeri
Pellaeam lassare manum, qua regia Pori
concidit, et famulus submisit cornua Ganges.
Te Phrygis Aeneae vates, te carmine mulcet
turba minor, metuitque legi sub judice tanto.
Seu tua Pierias curat facundia leges,
quantus et ipse virum pugnas decurrere cantu,
sanguineasque vices ? Seu prisca oracula solvis
maximus imperii Persarum more sacerdos.
Non ulli tantum patuit polus. Undique curis
intentus patriae, donas tamen otia mundo,
et tranquilla quies uni te rege negatur
auctori. Non ille aliter, qui spargit in orbem
lumina flammiferis terras complexus habenis,
Phoebus, inexhausto moderatur saecula motu
pervigil, atque annis in solos utitur annos.
Sic illi crevere duces, quos aequat Olympo
gloria, sed tantum pietas ignara fefellit
et virtus male grata Deo. Tu tradita caelo
sacra, nec humanas umquam subeuntia leges
certa mente tenes. Haec sunt tibi pignora regni,
non Diomedeo fatum violabile furto
effigies mentita Deam, non arma per auras
sacrifico delapsa Numae : sed nescia fuci
relligio nec passa solo sordescere mores.
His tuus incubuit studiis labor, actaque sancte,
quae didicit pueri, docuit maturior aetas,
nec voluit sudasse sibi. Jam conferat aevi
quicquid habet veteris miratrix fama priorum.
Quae tam docta fuit, quamvis privata, juventus ?
O decus ingenii, o pulsae regalibus aulis
doctrinae super una fides, tibi sacra supellex
chartarum, quascumque manus scripsere beatae,
pro jaculis arcuque fuit : nec quaerere tantum,
si qua Caledoniis fera palaretur in agris,
quantum Pierios juvit lustrasse recessus.

Hinc studiis reparatus honos, et Scotica numquam
Socraticas tellus animosior ivit in artes
aemula naturae, palmamque negavit Athenis.
At quae consilii virtus, quam provida mentis
omina, et ambiguo numquam decepta futuro,
imperiique artes ? Quanta praeverterat usum
indole turbatis praesens sollertia rebus,
ante etiam quam flore tibi matura juventas
umbraret vultus ? Toti prudentia regno
sufficit, et molem patriae complectitur omnem,
nec partes sibi cura facit. Sic arbiter alni,
quamquam sollicitus caelo labentia servat
sidera, nec tardi dimittit plaustra Bootae,
consulit, et nubes et cur Lunaria nutent
cornua, quos caeli praesentiat unda tumultus :
interea decimi fluctus memor effugit iram,
et quaerit, quas frangat aquas. Te praeside, canis
legibus et magno constat reverentia juri,
nec venale forum. Rigido munitus honesto
foedari tua saecla vetas, gavisaque cernit
aequatos Astraea reos : nec ferris ab ira,
sed saevire doles. Hinc quamquam crimina damnas,
pronior in veniam pateris resipiscere vivos.
Non tibi crimen opes, non insons gratia vulgi,
non genus, innocuo regnant terrore secures.
Qualem centenas moderantem legibus urbes
fama vetus Minoa refert, et jura Laconum
qui populo sanxit Delphis auctoribus exsul.
Quae tibi rara fides. Etsi praeconia morum
augentur leviore bono. Quae gratia vultus,
sanctaque majestas, et qui non tollit amorem
frontis honos. Coae redeat si gloria cerae,
te velit exemplum superos picturus Apelles.
Non te sollicitant irae, non taetra cupido
securum, regemque sui. Procul exsulat aula
luxus, et ambitio rebus ventosa secundis :
despicitur quisquis laudem virtutis et aequi
privatum putat esse decus. Tolerare labores,
et veterum mensas corrupto reddere saeclo,
nec cultu praeferre ducem, tibi debita soli
gloria : sic duris Scotorum exercita rebus
promeruit virtus, quos non optavit, honores.
Ipse tibi primis Deus exploratus ab annis
contemptas ingessit opes, et credidit Anglos.
Quis non praecipiti spe tanta impellere vota,
et cupiat rupisse moras ? Te celsior intrat
contentum fortuna suo. Non illa juventam
regnorum commune nefas scelerata libido
exagitat : thalamis totos addicis amores.
O quam festa dies, populis o quanta duobus
gaudia, cum tetigit littus Regina maritum
a Cimbro deducta mari, sacrumque jugale
nexuit oppositas aeterno foedere gentes,
tunc quoque Codanum conspersa floribus unda
credibile est risisse sinum, carmenque secutam
Orcada tunc virides inter saltasse sorores.

Hoc tibi certa toro soboles, et vulta verendis
aula puerperiis. Miseri quos proximus urget
successor, dubiique metus. Tu gentibus audes
haeredem monstrare tuum, qui congrua mundo
vota facit, numquamque velit succedere regnis.
Hunc olim percepta doces, aevumque remensus
ipse tuum patrios crescentem ducis in actus.
Tu regis aetatem, te dante et semina laudum,
sacraque et imperii leges. Regalia dona,
accipit, et pacis mores, et fulmina belli.
Jamque Caledonios Reges, Mavortiaque ausa
gentis Hyperboreae non vano discere motu
incipit, et magnum promittit utrisque nepotem.
Ut leo, quem parvum, nondumque mapalibus hostem,
jam metuit Massyla cohors, quamquam horrida primum
crescunt colla jubis, fulvi genitoris ad iram,
cum fremitum procul omnis ager maternaque rupes
reddidit, et teneros audax respexit ad ungues,
verbere se stimulat caudae : tum cornua denti
destinat, et multo non vult sine sanguine pasci.
Dum tua te tellus videt in commune maritum,
in commune patrem, meritis te credidit istis
anguste regnare polus totosque Britannos
intulit. O felix triplicis concordia regni
cui servata venit, magnis quod regibus olim
tentatum toties meminit, totiesque negatum,
prisca Caledoniis comprensa Annalibus aetas.
Foederibus nullis tantae coalescere vires
ante tuum potuere diem. Tibi maxima rerum
insula, cui nullam terras defusus in omnes
caeruleus Nereus aequalem fluctibus ambit,
Caesaris invicti novus orbis, et altera tellus,
subditur imperio. Tibi non fera paret Ierne.
Haec etenim nuper, cum te jam regna manerent,
accepit mores, fatis properantibus omnem
pacatam donare tibi. Sic insita genti
detumuit rabies totumque excussit Iberum.
In te regnorum, quibus haec fortuna pependit,
tot saeclis cecidere vices : quibus Albion armis
distulit, his omnis gessit tibi bella vetustas.
Te propter Belga spumavit remige primum
Tethis, et Armoricas emovit Gallia sedes,
quaesitura foris patriam ; peregrinaque regna
condentes Druidae populis tua fata canebant.
Mox regnatus avis ferro sua membra notanti
Scotus inaccessam Picto divisit Iernen :
quorum finitimo vexata Britannia Marte,
in Boreae qua flabra patet. Tum Teutone victo
Julius ignotum monstravit gentibus orbem,
felicesque aquilas infectus corpora luto
pertimuit, patrii moderator Britto Covini.
Hinc aliae clades. Numquam tamen insula bellis
invenit dominum, nec tunc cum littore toto
prospiceret dubiis venturum Saxona ventis,
alternoque decus reparantem sanguine Cimbrum.
Non minor Arctoum qui currere classibus aequor,

incertas turbavit opes. Normannica tandem
arma, novas leges, et regno regna dederunt
accessura tuo non ultra nobile sceptrum
ad rudia imperii privataque pectora venit.
Fecerat innumeros, te repperit Anglia Regem.
Non auxit tumidi vana te nominis umbra
signiferum furiis, irataque libertati
ipsa suae plebes quaesitam duxit in arcem.
Non studia, et partes tibi conjurata dicavit
nobilitas : belli non turbine rapta potestas
in jugulos jus ense dedit. Nex sanguine partum,
nec pretio diadema tenes. Natura, Deusque,
te fecere ducem, Procerum sententia dixit,
optavit populus : nec Principe sensit adempta
imperium confusa sui moderamina clavi.
Te, quod inauditum, vacuus nullique petitus
exspectavit honos, et majestate futuri
tuta quies. Primus meruisti ad regna vocari.
O fati miranda fides, et credita sero
omina : non illud nihil est, quod nobile marmor,
obside quo Scotos umquam diffidere regno
fama vetat, casus Londini vexit in aulam.
Haec facto signata dies, quae duceret illuc
Scotorum dominum Tamesisque imponeret urbi.
Oblitas clades Bannoci flebilis unda,
cum Fluidone tace. Veteres delere triumphos
jam juvat, et nullis famam servare tropaeis,
ceu fuerit civile nefas. Generosa Britannum
corda bona coiere fide. Quos insula jungit,
nunc et regna ligant, cupiunt gens una videri.
Non et apes aliter, quas Attica vidit Hymettos
infestas miscere acies, et spicula contra
tendere, si regem, squammis qui clarus, ad unum
summa redit, socio properant examine ceras.
Hic dat jura favis, huic propugnacula servant
excubiis, rapiuntque thymos, et mella laborant.
At tibi, (quae toto diducta Britannia mundo,
nil ultra, nil majus habes,) quas dicere laudes
vox humana queat ? Rerum natura creatrix
divisit populos, et metas ipsa notavit.
Sic juga Pyrenae, sic olim Rhenus, et Alpes
imperiis mensura fuit. Te flumine nullo
detinuit, nulla nimbosi verticis arce :
sed totum complexa parens, hic terminus ipsa
substitit, atque uno voluit sub limite claudi.
Te sibi seposuit supremo in gurgite Nereus :
finis hic est, qui fine caret : quae meta Britannis,
littora sunt aliis : regnique accessio tanti est,
quod ventis velisque patet. Non altera credam
arva beatorum potius dignata fuisse
nomine, jam longo quamquam decus istud ab aevo
intervertit Iber, et seris addidit undis.
Nam quibus hoc regnum non exundare videmus
terrarum pelagique bonis ? Dant littora baccas :
cultis laeta seges : multis ditata metallis
floret humus : pecori longe tamen optima tellus,

formosique greges. Nulli violabilis astro
servat temperiem regio : non uritur aestu,
non reditura timet glacialis sidera brumae.
Diffugiunt angues, et non concessa veneno
rura tenet tacito mirabilis igne Gagates.
Longior ipsa dies, inde prensaeque tenebrae,
cum cancrum sol altus habet. Felicior omni
terra solo, meruit quae semper posse videri.
Et nunc quos habitus procerum, quos illa suorum
spectat opes ! Certat radiis solaribus aurum,
flammati certant lapides. Quis littus Eoum
transtulit, et totam Tamesi donavit et Humbro
Taprobanen ? Sedet ipse toga cultuque verendo
purpureus : crines rutilant, sceptroque parentum
onsignita manus sacrat proavita Britannis
jura, fidemque refert. Tum vultu supplice regem,
et flexo innumerae venerantur poplite gentes :
qualis ad Euphraten Macedo concurrere victos
Aurorae populos, fessique Hyperionis orbem,
teque metum vidit donis, Hispane, fateri.
Prima loqui properat toto pulcherrima vultu
Anglia, veliferis tunicam variata carinis,
quae merces, quae bella ferunt. O maxime regum,
quem mihi nobilibus deduxit curia turmis,
tot procerum stipante manu, me sume rogantem,
nec Scotis distingue tuis : nam sanguine toto
non minus es noster, propior quoque gente paterna.
Quis thalamum Henrici, quis foedera nescit Elisae,
compositasque toro partes, cum publicus Hymen
incluta cognato pepigit connubia regi,
discordesque rosas geniali jungere serto
mansurus permisit amor ? Tibi ducitur ingens
inde genus. Finem bellis odiisque daturum
pacifico decuit regum de foedere nasci.
Tu tamen externi ne tollas sanguinis usum :
haec nescit cessare manus. Quas ipse Britannum
admiraris opes, totus quibus invidet orbis,
non tantum pax longa domi, cognataque terrae
munera, et Eoi nobis commercia caeli,
Sarmaticaeque plagae, quantum victoria fecit.
Causa mihi superest, et qui spoliabitur hostis :
arma jube. Nondum poenas pro classe pependit
ille mihi, quamquam quindenis vincimus annis,
omnis et in cineres sedit Tartessus, et isto
littore non dudum quod nostris objacet oris ;
tot strages haec dextra dedit. Prodemus Ibero
egregia terras a virgine nomen habentes ?
Si datur armatis quaesiti gloria regni,
et mihi sunt classes, et bello docta juventus.
An Baeti tantum ista licent ? Qua funditur ingens
Oceanus, tua sceptra coli patiare rogamus.
Sic vivas, populosque tuo sub nomine junctos
imperio moderere diu : neque nobilis aetas
Augusti Jacobum superet : neque Pontica regis
tempora. Quid longe votorum exempla requiro ?
Majus habe. Superes illam felicibus annis.

Quam, quia tu sequeris, me non amittere sensi.
Tum fecunda virum sublimi pectore fatur
altera : "Me, Princeps, non longe jura, sed ipsi
natales tribuere tibi : licet ingerat omnis
se Fortuna, manet primum tibi Scotia regnum.
Nos cunas, nos prima tui vestigia gressus
miramur, tantumque meis crevisse sub ulnis.
Nec donata tibi, servataque munera vitae
imputo : plus, nostra, fateor, quod natus in arce es,
me debere tibi : sed si qua est patria regum,
sum tua, nec veteri deductae laudis ab aevo
nec virtutis egens : et, si vindicta paratur,
non aliis melius pro te certabitur armis.
Scimus enim, nostras Flandra regione cohortes
per scelus, et contra fas inviolabile belli,
juratamque fidem, quae gens truncarit inermes,
et qui te : sed non vacat indulgere dolori."
Mox posito ritu patriae feritatis Ierne :
"Primum da veniam : quicquid deliquimus, inquit,
culpa quidem gravis est, et noster credulus error,
sed scelus Hispani. Liceat peccata piare :
dicemus causam jugulo. Jam sentiet hostis
quo pretio constet populos fecisse rebelles,
expertus regnare virum. Tua, Rector, origo
deprecor : illa ego sum Scotorum maxima nutrix,
unde Caledonios Pictum comitatus in agros
exiit aeterni per saecula nominis auctor.
Pignora quae potius, quam tantae exordia gentis,
defensura ream ? Placidis tum Gallia verbis,
dulce tuens blandumque, subit. Jam mille per annos
foedera cum Scotis sancte servata recordor.
Majus amicitiae senium nec saecula norunt
nec sol iste videt. Lux tanto tempore nulla
gratior effulsit, quam qua tria sceptra tenentem
te tueor, Francis majoribus orta propago.
Crescit, et ipsa tuum sequitur concordia regnum.
Siqua simultatum residet sub pectore nubes,
dono tibi. Quaecumque tuas gens audit habenas :
hanc odisse nefas. Omnem tibi maximus ultro
Henricus promittit opem. Solet ille favere
in regnum genitis : causa pugnavit eadem.
Quamquam bella Tagus, totumque effuderat aurum,
vicimus. Hinc Cimbrum tellus. Quod tanta potestas,
binaque vicinos tibi tradidit insula fluctus,
gratulor affini : nam te moderante Britannos,
si qua fides, prisco videor considere regno."
Ultima, quam sociae circumfulsere sorores,
edidit intrepidas turrita Batavia voces.
"Felices nimium cives, quos Principis aequi
cura fovet sub lege sua, sub lege superna,
cum modus imperii jus est, cum sponte recusat
utilis, et recti transire licentia fines,
acceptumque Deo fert summum culmen honoris,
expensum populo. Dedit hoc fortuna Britannis.
At nos heu miseras ! Certe poteramus, Iberi,
non tam dira pati. Cur das documenta Batavos,

quo liceat furor usque tibi ? Non tradita flammis
oppida, non haustas taedis hostilibus urbes,
sed vivos arsisse queror. Quo crimine nostras
irrupere domos, et tot stravere ruinis
artifices scelerum ? Quid tantum fecimus, in quod
mors non una satis ? Flammas, ferrumque meretur,
nosse Deum, jussisque nihil discedere sacris.
Hoc, Hispane, tuis nimirum obtenditur armis.
Unde etiam regum, qui stant cervice soluta,
qui diadema nisi caelo debere recusant,
te facis haeredem : sed si tibi quaerere regnum
unica relligio est ; nos jam servire videbas.
Quid prodest vastare tuos, procerumque cruorem
fundere ? Quis tantus timor est, non vincere bello ?
Egmundi testor cineres, totque illa meorum
exsilia, et quicquid crudeli cessimus Albae,
invitae mihi bella dari. Sed numen amicum
sic voluit, causamque suam bene credidit armis.
Mox tamen, optavi quoties deponere ferrum ?
Pax infida dolis vetuit, perjuraque semper
foedera. Quam recte fidei credatur Iberae,
nos exempla sumus. Deus hic, Deus ipse profecto
externam monstravit opem, teque Anglia nobis
addidit. O felix peregrino Marte virago,
quae potes oppressas gentes impune tueri
Oceano defensa tuo ! Nec dicere tentem,
quanta tibi domitis victoria crescat Iberis.
Ipsa tenes. Partos sed ne demitte triumphos,
quaere nec Hesperium pretiosis mercibus aurum,
cum ferro bene possit emi. Sic fata resedit
in genua, et regem multum venerata quievit.
Inde iterum. Laetor, Dominae non morte prioris,
quam colui, et nimium soli quae vixit Ibero ;
sed quod saepe tuum, Princeps, experta favorem,
plus credo te posse mihi : quod ab aethere venit
par animo fortuna tuo ; quod sceptra tulisti
sancta piis, verus simul, et dignissimus heres.
Aucta quod his regnis atque inconcussa potestas
Hispanos terrere potest. Si sensa recludat
pectus, et ostendant animi praecordia motus,
quam me gaudentem videas, quam ferre saluti
vota tuae ? Contra celantem corde dolores
Hesperiam furiis ardere, et inanibus iris,
nec vultus praeferre suos. Equidem omnia cernis :
haud dubitem : tibi corda patent ; nec fallit utrimque
explorata fides. En haec ego semper amica
principibus, cujus vicit socialibus armis
Roma diu : merui cunctis e gentibus una
quae mundi servare caput : nam maxima semper
Caesareae Batavo custodia credita vitae
et terris annexa salus. At serior aetas
regibus his junxit, quos solum dividit aequor,
ditibus et Rheni permiscuit ora Britannis.
Non modo coepit amor. Rectores Scoticus olim
vinxit Hymen, vinxit concordibus Anglia pactis.
Sed tua me virtus, cui nullum saecla tulerunt

prisca parem, ventura velint habuisse secundum ;
communisque Deus, vinclo propiore ligavit :
regna prius colui, te sum venerata regentem.
Hoc orbi jactare licet ; populisque nepotum,
judice te, placui ; docuit quod regius infans,
quem, me teste, dabas quondam lustralibus undis.
Quantus honos nomen regi commune parentis,
et commendatus fidei puer ille Batavae,
quem tot sceptra manent ? Quid Iber ? Quem pectore falso
jam non infensum facit Anglia velle videri,
tene ullis, medium belli partesque negantem,
officiis coluit, vel non te verius ipse
credidit esse meum ? Merito. Nam Scotia tantum
contulerat non vota mihi, sed et arma, virosque
virtutesque suas : nec, quamvis omnia deessent,
causa deest odiis. Nam turgidus ille, feroxque,
et post auriferos numquam placabilis Indos,
destinat Hesperiis immensum legibus orbem ;
sparsaque regna tenens pariter cum lumine solis,
quicquid abest hostile putat. Sed bella meretur
praecipue, qui servat opes. Cur Gallica movit
arma prius ? Quod jus in vos sibi vindicat, Angli ?
Ut modo nascentis taceam, pronaeque diei
littora quae vestris repetit Antonius armis.
Nulla deest juris species victoribus umquam.
In te, si quando foveat fortuna, paratus
jam color : infesto peragetur judice causa.
Damnatos ritus alienaque sacra secute
jam sceptrum privatus habes : sed foedera certe
praetendit, ramumque suae tibi mittit olivae.
Hoc est, absque dolis nil jam se posse fatetur
vindictamque timet. Sociata Britannia nescit
non incauta capi, bello domuisse professos
sufficiens hostes, et tantum pervia fraudi.
Nunc parat insidias, nunc captat commoda rebus
tempora, quae bello melius quam pace caventur.
Quae ratio suadet dignari foedere gentem,
cui violare fidem fas est, quae gaudet abuti
pollicitis, juratque Deum, quem fallere quaerit ?
Donec tuta sibi nondum perjuria cernet
pax erit. Interea si spem victoria fecit,
in classem cadet omne nemus. Simulabitur ire
in Flandros : tu Flander eris. Sin arma videbit,
desperata sibi, superest atrocius unum
Hispanumque nefas : gens plusquam barbara regnum
vel regum cervice parat pietasque vocatur
sacratum petiisse caput. Contemnere discit
et scelus et mortem dirisque armata venenis
in reges furiis proficiscitur acta juventus.
Sic bellant pacemque colunt. Non Anglia tantum
hoc docet, et Celtae toties in rege petiti.
Nos magis. O utinam numquam nisi cominus ausint.
Et meus heu nullis cecidisset Arausius armis.
Quis scit an, ut nihil est quod credi possit Ibero,
nunc quoque legatos cum mittat, miserit enses
et caedem cum pace petat ? Punire nefandum

tu genus, et laesos, quae res sanctissima, reges
ulcisci rex ipse potes. Sic illa beatae
principis exemplum, non ficto foedere nuper,
sed bello secura fuit. Semperque nocenti
non suspectus Iber. Nam ne Hispalis arma timeret,
terruit atque suos pacavit Marte Britannos.
Judicium noli dominae, quae sceptra reliquit,
vel nostram damnare fidem. Si fracta venirem
sollicitare tuas adversa in proelia vires,
posse tamen flecti reor, et miserescere damnis
meque simul miseram sinceraque sacra tueri.
Nunc gens nota tibi, quam centum tanta coronant
moenia, et indomitae cui sulcant aequora puppes,
vicino studui fortunam ferre faventem,
victricesque manus : florentibus utere rebus.
Aut si persuadet melius timor, undique pressa
scis Ostenda mihi quam tristes computet annos.
Ne littus contra videas hostile, cavendum est.

## EPICEDIUM JACOBI HEEMSKERCKII.

S2_09

Laetantes inter populos, et signa triumphi
nuntia, dum festis resonant clamoribus urbes,
nos tacitos maerere juvat magnumque putamus
cum patria gaudere nefas. Alit ipse dolorem
plausus, et ingenti celebris Victoria cantu
victricem nostris commendat luctibus umbram.
Ergo per hostili succinctos litore fluctus,
et quae vasta tuas timuerunt aequora puppes,
Hemskercki, non tu caros visurus amicos,
nec talis promissus ades, miserosque fefellit,
nequiquam sperata dies qua classe superba
captivum Oceanum referens solisque cubile,
tempora felici premeres rostrata corona :
qualis Achaemenias regna ad Telamonia ductor
cum mersisset opes ratibus Phoeboque monente
servatas iterum muris invexit Athenas.
Nunc eheu tua vota quidem non irrita, nostrae
in vanum cecidere preces : tu sumere poenas
seu face seu pelago crudeli ex hoste nec ultra.
Orabas quidquid belli fortuna tulisset,
securus reliquum et caelo tua fata remittens.
Herculeo cum namque jugo subiisse videres
velivolas arces et castra natantia ponto,
et summam obductis Calpen latuisse carinis,
clamabas : "Nunc ite, viri, mundoque probate
non esse Hispani regnum mare ; saepe minores
supplentur virtute rates ; in vulnera semper
moles magna patet. Sed enim non fluxa Batavis
corpora nec molles fractique caloribus artus.
Gens innata salo, durisque exercita ventis,
et quibus est ludus pelagi labor utimur alto
ceu nostro, stabilemque gradum nutante carina
figimus, ac patriam mediis agnoscimus undis.
Quin et causa favet. Non haec nos bella movemus

sponte, nec Hesperiae populatum venimus arva,
sed natale solum et leges servire vetantes,
et thalamum et natos justis defendimus armis.
En ille hostis adest, toties commercia rumpens
libera qui famulo damnavit pectora remo :
et nuper turbam pelago praedatus inermem,
divisit miseris mortes, lacerataque cernens
viscera quaesivit qua primum parte perirent.
Felices quorum ista manus vindicta poposcit.
Audentes laus certa manet, cessuraque nullis
hactenus exemplis. Magna virtute parandum est,
ne plus abstulerit Rutupinum litus Ibero,
et Morinum flammis lucens ultricibus aequor.
Hoc tantum moneo, nemo hosti parcere quaerat,
nemo sibi : summum sed belli credite munus
vincendo meruisse necem, vitaque soluta
nil patriae debere suae." Sic fatus et hostem
eligis ex acie tota, cui maxima puppis
tollitur, et passis nubes transverberat alis.
Jam quoque perfossus violenti ponderis ictu
dum cadis, extrema solatus voce dolentes
spectabas socios, laetus, quod fortior ira
surgeret hinc animis, et non impune futurum
inferiasque tuae magnas promitteret umbrae.
Implerunt eventa fidem, teque, optime ductor,
exstincto tua mors tamen et prudentia vicit.
Viderunt trepidae nova rursum incendia Gades,
nec leviora suis ; depressae fluctibus alni
angustum fecere fretum ; carchesia passim,
disjectasque trabes, resupinaque corpora ventus
jactat utroque mari, refugusque a littore Nereus
Europae monstrat fractas Libyaeque carinas :
membraque dum ratium numerant immania nautae,
tot classes periisse putant. O maxima clades
Hesperiae, et nullis non exaequanda tropaeis,
sed magno nimis empta tamen. Vicere Batavi
scilicet, at Batavos docuit qui vincere posse,
ille jacet ; minus ipse dolet sua damna Philippus,
et velut aequali bellatum sorte fuisset,
componit cum classe virum ; nec patria multum
Baeticolis audet tales jactare triumphos :
unde etiam merito gaudentis murmura vulgi
fracti intercursant gemitus, et foedere miro
confusi simul affectus in vultibus errant.
Praecipue nos, turba prius tibi nota, sodales
vix premimus lacrimas, perculsaque pectora luctu
duramus virtute tua. Nunc ora recursant
lumine pacato rapidum celantia Martem,
nunc labor, et toto divisa pericula caelo.
Ipse ego te memini quondam didicisse magistro
qualis Hyperboreum tellus projecta sub axem
ultima, concretis cingit quam montibus aequor,
tandem hieme infanda et longis deprensa tenebris,
jusserit amissam frustra te quaerere lucem,
extra hominum famaeque vias, cum triste sub arcto
natura pugnante chaos, Scythicique profundum

littoris atque alium reserares gentibus orbem :
et tamen audacis miseratus fata carinae
nubila sol ortu rupit demente, suasque
praeveniens leges caelo caput extulit alto.
Nec minus Eoo positas sub cardine terras,
turbatum et magno Gangi mare, ruraque plena
messis odoratae cumulis, te saepe canente,
mirabar Batavumque orantes foedera reges.
Heu quis ad aurorae populos adversaque nostris
sidera sideribus tam clari funeris ibit
nuntius ? Ereptum te nobis India tristis
audiet, Hemskercki, regum plangere lacertis.
Namque illi armigera jam te cum classe putabant
venturum auxilio qualis spectante Malacca
devictis veniam Hispanis vitamque dedisti :
te fore qui pulsa terris pelagoque superba
gente Tagi, cunctis faceres mortalibus aequum
jus maris, et toto merces discurrere mundo.
Sed quamquam fera mors tantos interscidit actus,
vixisti ad laudes certe satis : ipsa labores
noctis regna tuos norunt, te Marte potentem
prima canit, te sera dies. Fecunda virorum
patria, cum dubiis prope jam fiducia rebus
cessisset pelagi, tua tunc respexit ad arma,
ostenditque inter titulos et nomina magna
virtuti patuisse locum. Jam gloria leti
nobilior nullis potuit contingere votis.
Tela inter praecepta tuis animosque ministrans,
occidis, intentus perituris hostibus, illo
nil minor, incubuit stratis qui victor Achivis,
et Spartae ambiguos adscripsit sanguine fines.
Nec nos te lacrimis igitur maestisque sequemur
planctibus, ad manes luctus nam gratior ibit
ille tuos, quo flet demersam Hispania pubem,
et Tartessiacae plorant sua funera matres.

INDUCIAE BATAVICAE.

S2_10

Cognati cineres, longum mansura per aevum
nomina, vosque umbrae, Batavis quibus alta sub armis
gloria quaesitae permisit mortis honorem ;
virtutes, cladesque suas ? Quocumque jacetis
cardine, seu nostram pinxistis sanguine terram,
seu vos hostili trepidae sub gurgite Gades,
seu fluctus agitant Indi maris, et novus orbis ;
mercedem contemptae animae, tantique laboris,
hic annus, gaudete, dabit. Nam vester agebat
hoc cruor : hoc vitam voluistis claudere voto,
ut quae vos genuit tellus obnoxia nulli
servitio, positis olim requiesceret armis.
Ipse pater verus patriae, quem postera Bruto
saecula component, servatorique Camillo,
motus inexhaustis populi cum fletibus in se
verteret Albani furias, viresque Philippi,
ambiguas animo curas circumtulit, istum

non ausus sperare diem. Levet ardua caelo
Brila caput, Flissinga suis exsultet in undis,
et quicumque dedit tam magnis semina rebus.
Quis tunc ad Batavum venturos foedera reges
crederet ? Armatis nantes in puppibus urbes,
Lugdunique fames, et mersa sub aequore rura,
hoc peperere decus. Numquam nisi fortibus ausis
libertas emitur, nec tu non sanguine multo
decolor in Latia sedisti Roma curuli,
egistique tuis dictos a fascibus annos.
Limite Pannonio trepidum pacaverat Istrum,
et prope sumpta manu Venetis excusserat arma,
cum, ne non totum sua munera ferret in orbem,
venit et ad bifidi tandem divortia Rheni
diva salutifera frontem quae vestit oliva.
Qua fert illa pedes, circum vestigia fruges
protinus emergunt : non ulla aut murmura ventis
aut pelago : rabies jacet exarmata ferarum.
Ipse etiam dura sudantes Marte cohortes,
turmarumque acies, et bellatricia rostra
adventum sensere Deae. Negat horrida muros
sternere sulfureis ardescens machina nimbis,
et retro pavidis fugiunt mucronibus enses.
Tum miserata graves Batavum Pax alma labores,
"O mea, sed quondam mea, gens, ait, unde ruendi
in ferrum tibi tantus amor ? Quae tanta cupido
cognatas miscere manus, vestrumque cruorem
fundere per cunctas quas sol videt aureus oras ;
an potius non dulce malum, nec sponte sequentes
Mars trahit, invitae veniunt ad proelia dextrae ?
Credo equidem : sic nota fides, sic moribus aequis
incorrupta vehis toto commercia mundo,
sic mea dona tibi mediis quaeruntur in armis.
Irarum satis est : jam nostros respice vultus
digna vel octavo saltem requiescere lustro."
Hinc dea Brabantum se fert rectoris ad aulam
regia quem gremio conjunx complexa jacebat
auro strata torum, fulcris radiantibus auro.
"Dux bone, tranquilli soboles pia Caesaris, inquit,
quo melior nemo tenuit Germanica sancta
sceptra manu, quondam studiis asscripte quietis
ipse, nec ad saevos bellorum nate tumultus,
seu tu (sexus enim caedes fugit iste) rogari
mollior, Hesperii proles generosa Philippi,
quem capient haec, bella modum ? Quid perditis aevum
in curas tristesque metus ? Quae gaudia vobis,
cum nunc ista tremant propter volitantibus alis
moenia, juratae tua nunc in verba cohortes
maerentes spolient abrupto jure colonos ?
Cernite quem vobis mala sors objecerit hostem.
Sive opus ingenio, navali conditus alvo
caespitibusque atris medias erumpit in arces.
Qualis equi latebris ferus exsultabat Ulysses
exitium tibi Troja ferens. Sive agmine magno
ipse minor premitur, Latias conversus ad artes
flumina tuta legit, sinuosique objice valli

defensus patriis secludit finibus arma :
elusae pereunt vanis conatibus irae.
Cum venit obsidio, securis tendit in urbem
flexibus, et nullo constat victoria damno,
sed vel vulneribus ducunt labefacta ruinam
moenia, vel lento succedens vinea tractu
aggeribus furatur humum, vel caeca meatus
flamma per infernos superas procul exit in auras.
Proelia cum suadet ratio, non impetus illi,
spargitur in cuneos bellum, brevibusque maniplis
ante fatigatas pellit vis summa phalanges.
At tibi per quantas veniant et prospera clades,
Ostenda metire tua. Venistis in urbem,
sed prius amissi magnos calcastis acervos
militis, et vestro rubuerunt sanguine fossae,
post Martis morbique graves pelagique tumultus
gens invicta malis ubi tertia venerat aestas
deseruit fatale solum. Sic vincere vinci
paene fuit, quae spes igitur vos vivere cogit
munitos gladiis Hispanaque signa vereri ?
Imperiine sitis ? Mores non omnibus uni
gentibus oblatum sibi libertatis honorem
Cappadocum sprevit populus, mirante Latino,
suetus regna pati. Gaudet coluisse tiaras.
Medus : et Euphrates dominos et Nilus adorant
sed non Cecropidis ea mens, nec Dorica virtus
quivit ferre jugum. Vinxerunt sceptra Lacones
legibus, et jussi reges servire Lycurgo.
Sic fera Cattorum soboles durare jubentes
nescit heros, sibi sueta regi. Vetus illa Batavis
nobilitas animi. Junxit sibi foedere justo
Roma, nec armorum socios sprevere Quirites.
Fas ubi mutatum, violataque jura rapinis,
tempore quo domitum spoliabat Flavius orbem,
surrexere animi. Quantus Civilis in armis,
quanta virum virtus ? Aquilis dux ipse fugatis.
Dis patriae solvit rutilantis vota capilli,
lancea cum frameas, et pilum gaesa timeret,
atque novos Senonum tremerent Capitolia motus.
Vos immite solum mixtasque paludibus undas
projicite ex animo. Vobis quae pinguia Scaldis
arva secat, fortisque Atrebas, et Nervia proles,
sufficiant : populos inter regnate volentes.
Sic postquam Austriacam blandis sermonibus aulam
flexerat, occiduas curru defertur ad oras,
curru quem geminae raptant per inane columbae :
atque ubi Laurentes advenit cominus arces
magnum regis opus, solio sublime sedentem
conspicit in multa gemmarum luce Philippum,
centum illic populi centum responsa petebant :
hinc quibus Aetnaeas datur aspectare favillas,
et quos Sirenum mittit domus, unde superbus
Insuber et rapidae tortor Balearis habenae,
et quas tot titulis distinguit Iberia gentes,
et Libys, et primi mirator luminis Indus,
ignotisque avium velat quae corpora pennis

Mexica, vel fulvi dives Peruana metalli,
inque notos vergens alius quos despicit axis,
non tot continuit Romana potentia terras
tunc cum summa fuit, nec ad haec fastigia rerum
sub duce Pellaeo Macetum venere sarissae
nunc quoque Bistonii quamvis sunt vasta Tyranni
regna : nec exiguo claudatur limite Parthus,
et late gelidi glaciali littora ponti
Sarmata possideat, plaustrisque vagantibus exsul
mutet saepe comos Scythicorum victor equorum,
multaque perpetuo defendat millia muro
Sinarum dominus ; vix et sua noverit arva
qui regit Aethiopas damnatum solibus orbem ;
Hesperiis nemo regnorum finibus exit
longius, et multum mundo fortuna pepercit,
quod tantas disjecit opes, vetuitque coire
tam procul averso positas sub cardine vires :
cum tibi sol gignat populos oriensque cadensque,
Pax ait : "O proavos rex praetergresse potentes,
et tibi tranquillas ultro dent sidera luces :
cur aliquid bellis vis in tua regna licere,
et tibi perpetuos gens subjicit una labores ?
Exhaustis populos quos torrens ambit Iberus
cladibus, exhaustis gazas quas aurea donat
gleba Tagi, siccis quas Africa mitit arenis,
Indorumque amnes, et nuper cognita tellus.
Quae merces operum ? Cur hoc sciet ultimus orbis
per tot lustra brevi conclusam littore gentem
aequari potuisse tibi ? Proh quanta Batavis
ex te fama venit ? Poteras sprevisse videri
qui nunc hostis obest et magnos inquinat artus.
Quid non hoc Asiae potuit Libyaeque parari
sanguine, barbaricum si Mars tuus isset in hostem.
Jam tibi cessissent veteris vestigia Byrsae,
teque sibi dominum geminis imponeret oris
Bosphorus, et Solymi non solo nomine montes.
Terrestres taceo pugnas. Quis navibus ardor ?
Staret inoffensus cum Poena potentia rebus
Carthago, non tanta mari, nec Medica classis
in se translatas gravius persensit Athenas.
Hoc Morinum dicent turres, Hispanaque transtra
qui tulit Arctoas Nereus disjecta per undas,
ultimaque exustae terrarum littora Gades.
Nuper et Eoa raptas regione carinas
flet Tagus. Ipsa novas ventura classe parato
contremit audaci tellus montrata Columbo.
Et nunc ecce tuos hostis ferus obsidet amnes
fluctibus insultans, atque eripit aequor Iberis
Oceani quondam comitoribus. Ardua Calpe
testis, et Herculeis pelago via facta lacertis,
quos animos gens illa ferat. Dux ipse superbum
pertulit ad manes venalem morte triumphum.
Ille vir, ille fuit, gelidi qui claustra trionis
primus, et aeterno concretum frigore pontum
irrupit, totumque diem post terga reliquit.
Siste gradum, neque tu tam fortia pectora perge

exercere odiis. Quid enim virtutibus addis
materiam, queis Celta favet junctusque Britanno
Cimber, et applaudit tellus Germana tropaeis ?"
Dixerat, et subito tendens ad Gallica rura
inde petit Tamesin, regemque affatur utrumque
hunc pacis studiis, ast illum Marte priorem.
Illum per dubios Bellona judice casus,
notaque non ulli melius mala, perque reductas
et leges et opes, augustaque culmina regni
et bene civiles vetitas concurrere dextras :
hunc per jura piam semper suadentia pacem
admonet, et per quae scriptis sapientibus ipse
edidit in populos, properent ut sistere claram
in solido gentem, trepidisque auferre periclis.
Sic Batavum per bella fidem, sic icta maneri
foedera. Quin ipsis mansurae pignora pacis
hinc etiam non parva dari, si lege perenni
Hesperiis Batavum decedat gloria rebus.
Vicinosque metu levet, invidiaque Philippum.
Talibus exitium coeptis sibi dira creari
senserat, et totos erexit verticis hydros
damna timens dudum dilectae sedis Enyo.
Nec se fassa tamen fucaris vultibus addit
mendaces habitus, Libertas aurea qualis
Euganeos coetus Alpinaque tecta celebrat :
calcato sic alta jugo, sic pilea sumit ;
Conciliumque petit, Batavos ubi maxima patres
ceperat in septem distinctos curia gentes.
"Quid facitis, clamat, proceres ? Adeone priorum.
Immemores nondumque dolos sentitis Iberi ?
Tranquillas nunc ille comas et vellera tendit,
paupertas dum nempe jubet, quia clausimus aequor
classibus, et toto Baetim spoliavimus auro.
Jam laxate fretum, dimittite rostra Philippi.
Cogat opes rursus : mox cum sua visa potestas
magna satis, subitis in vos novus ingruat armis.
Non tunc blanditiae, non tunc haec foedera vobis,
sed scelus Albani nimiumque oblite parentum
tempora. Sic vobis Egmundi sanguis et Horni
excidit, et frustra juratas fusus ad aras
Zutphaniae Nardaeque cruor ? Percurrite fastos :
Hispana latuit semper sub pace venenum.
Foedera nunc simulans Lugduni ad moenia venit,
vix pelago, vix illa avibus defensa ministris.
Gandavi vox parta quies, a Vespere missus
altera civilis jaceret qui semina pugnae :
Teutone quaesitum gladios finire sequestro
in Mosam Mavors ferus irruit ; hinc nova rursus
colloquia et fallax belli mora, cum super ingens
classis adest, rectumque latet sub puppibus aequor.
Post aliae ex aliis fraudes : tempusque sub unum
missi oratores aderant, emptusque satelles
viscera Mauritii dira qui caede feriret.
Ille quidem vivit fatis ereptus amicis :
sed non et genitor, saevi qui victima regis
procubuit fossus scelerato vulnere venas.

Quid mirum, feritas quando nec regibus ista
parcit, et Hesperios exercet sica Pothinos ?
Hinc vestri sanxere patres gens provida veri
spernere congressus, auresque avertere dictis,
noxia ceu quondam Sirenum carmina fugit
Dulichio monstrante ratis. Dementia quae vos
mutavit miseri : declinant retia pisces
quae novere semel, vitat sus horrida casses ;
vos toties capti toties in damna reditis.
At non illum animi quantumvis luminis orbum,
conscripti stupuere patres : qui clade recepta
Chaonio Romam vetuit cum rege pacisci,
quippe id grande nefas, sed poscere foedus inermem
jussit. Et Ausonia primum discedere terra
sic nunc, impositas Belgis si detrahit arces
hostis, et artifices scelerum deducit Iberos,
qui belli nobis titulus, quod foedera quondam
scripta jubent, populisque decem sua jura relinquit,
fas audire puto : sin nostri corporis artus
servitio premit, et nondum delicta fatetur,
signa canant, omni quaerantur ab aequore praedae.
O patriae, magnique patris fortissime vindex,
cujus bis decimo jam mortem ulcisceris anno
prime ducum, quos nostra tulit, quos longior aetas
aut quos sera feret, sub cujus deficit actis
nostra fides, retro majus nam computat aevum
incipit immensos quisquis numerare triumphos
quos nunc extremis supplex canit India terris,
tu partum tutare decus, nec mitte quod unum
gloria pandit iter. Nondum sat Flandra biberunt
littora : Mendosam ne solum vincula norint.
Vos quoque magnanimis quorum perterritus ausis
substitit Honta rubens, vere Neptunia proles,
si dubitatis adhuc monstrent quam fata salutem,
cernite divitias, belli quas tempora vobis
addiderint. Pax hos aditus, haec commoda rerum
transcribet populis hostilia regna secutis.
Adstabat pietas, (semper comes illa Batavis
addita consiliis) et, quamquam fallere credis,
non pariemur, ait, mentito illudere vultu.
Libertas non ista soror, sed ferrea jactas
deceptis Bellona viris. Ego certior auctor.
Credite, non vestrae sollers industria mentis,
claraque Mauritii virtus, milesque paratus
obsequiis, vobis tam res fecere secundas,
quam Deus et blandi constans clementia fati.
Viderat omnipotens miserorum insontia passim
supplicia, atque ustis fumantes civibus urbes,
turbatum fas atque nefas ; exuta sub armis
jura : bis oratus, bis castra ingentia vindex
moverat, elusae vires, roburque caducum.
Extorres, contempta manus, melioribus ausis
monstravere viam. Cum spes defecerat, hostis,
perfidus in socios, ignatus parcere victis,
impulit extremis animum praestare periclis.
Ah quoties dubios casus animosque labantes

restituit discors aegre parentis Iberi
seditio ? Refugum quid protinus hoste fugato
Nerea, quid jusso venientis aethere ventos,
aut externa canam trepidis solatia rebus ?
Nomen ut ipsa suum vestris inscriberet actis
respuit humanas divina potentia vires.
Hinc grandes cecidere minae, nec prospera rursus
sperata venere via. Deus ille tueri
vos et pace potest, (quid fata affigitis armis ?)
Et mavult : dubitare nefas. An cadibus ille
gaudeat et patrio dejectis rure colonis ?
Illum flamma juvet rectis ardentibus, et qui
sontibus insontes gladius discernere nescit ?
Numquam bella licent illi cui legibus aequis
uti pace licet. Caelum nisi bella coacta
non probat. Ibo equidem, damnataque signa relinquam
funestasque acies, si ferrum sponte tenetis.
Si sacra, si vestris libertas quaeritus armis,
fas huc usque fuit. Neutrum nunc eripit hostis.
Non ita perpetuis laeti successibus anni
ut fastu vitient animos, Mars integer ex quo
incubuit Batavis, vicinaque regna quierunt.
Saepe timor vobis, ne mox trans flumina nota
staret, et in trepidas hostis prorumperet urbes.
Et nunc ille quidem multo cum sanguine, portas
impellit tamen, aut summi super aggere valli
improvisus adest Ligurum dux gente profectus,
non animi, non laudis egens. Nec lene tributum
quod datis, aut vestrae superant impendia gazae :
sed tamen ut fluerent avidis concordia votis
omnia, fortunae par est vos jura vereri.
Incertasque vices et numquam longa superbis
exitia. Imperio contenti vincite vestro ;
hoc satis est ; nec spes protendite longius aequo.
Quid vos sollicitant populi servire volentes ?
Forsitan insidias et semper mixta timetis
pacta dolis : laudo, si vobis rursus Iberi
impendent domini ; sin libera jura relinquunt,
excubiis portas, ratibus vallate profundum,
implete ambiguas validis legionibus urbes,
quae bellum sine caede gerant. Quaeque optima cura est,
consulite in medium : quod copia parturit aurum
in commune fluat ; privati, publica praestent :
stet scriptas adamente tenens Concordia leges.
Praeterea socii validis accedite regnis,
et certate fide. Non haec munimina bello
fida minus, quae non solet hostis ab hoste pacisci,
sed dat quisque sibi. Sint non ignobile vobis
Helvetii exemplum, quos arma capessere quondam
causae egere pares. Non illis gentibus ultra
arma domi, parta sed libertate fruuntur
unanimes : socios omnis vicinia donis
ambit, et Austriaci mercantur foedera reges.
Talia dum patres sapienti corde volutant,
suspensis paulum gladiis, ut figere gressum
cominus, alternosque datum cognoscere vultus,

detumuere truces irae, sed multa manebat
suspicio, cautique metus. Sic flamina postquam
lassa jacent, sidunt pacatis aequora sensim
fluctibus, ambiguo nondum confisa sereno.
Jamque odium belli proceres plebemque tenebat,
nondum pacis amor. Magnum tamen hoc quoque magnis,
quod durata malis, quod per quinquennia septem
gens addicta tubae, geminis assuevit in annis
otia posse pati. Primis congressibus arces
praebuit Haga suas. Tanti capita ardua belli,
quorum consiliis steterant aut robore partes,
innocua commune nemus complectitur umbra.
Addunt se medios, praeceptaque fida ministrant,
quos magni misere duces. Hic grandior ille est,
eripuit qui sceptra feris raptoribus, et nunc
legibus exornat patriam, sanctisque repertis.
Ipse magis nullo se Sequana jactat alumno.
Alter hic Astraeae custos, qui gente Britanna
nobilis, ingenio laudes implebit avorum.
Hunc Nicer, hos Getici veneratur regia ponti.
Illi autem positis qui nunc concorditer armis
mutant verba duo, nuper metus urbibus ingens
adversas traxere acies, vigor acer habebat
tunc oculos, longeque aliis occursibus ambo
implerant animos, Salvete o maxima bello
nomina, quos aetas numquam ventura silebit.
Virtuti si verus honos et praemia rebus,
non Ephesi per majus erat, cum Scipio Poenum
contigit, et Cannas illi Trebiamque remisit.
Non tamen in Batavo potuit coalescere foedus
limite : legati nulla cum pace remissi,
et Marti spes vana redit. Clarissima nostri
gemma poli, lux una tuis Antverpia Belgis,
hic te mansit honos. Ibi nos, non integra vultu,
sed clare spectanda tamen. Pax alma revisit,
otiaque in populos totidem promissa per annos,
annua quot menses complectitur orbita Phoebi.
Armorum fructu generosa Batavia gaude :
libertas, velisque patens et pervius orbis,
in pretium cessere tibi. Tu Belgica dempto
exsulta secura metu : non oppida castris
non turmis jam rura gemunt, non puppibus amnes.
Clausa diu reddunt longinquas aequora merces,
terraque fert puras et non e sanguine fruges,
jam domino fecunda suo. Monumenta malorum
deleat ista dies ; praesensque sequentibus auctor
annus eat, quoscumque poli mox janua pandet
bisseno primum subeuntes ordine fratres.
Hinc alii, nulla turbantes fraude quietem,
temporis istius vestigia semper adorent.

# SILVARUM LIBER III QUI HABET *NUPTIALIA*.

## EPITHALAMIUM CORNELII VAN DER MYLEN,ET MARIA AB OLDEN BARNEVELT.

S3_01

Sidera jam tandem nostris cedentia votis
in Batavos posuere minas, studioque reverso
erubuit justis regnatrix turba querelis :
nec velut ante diu flammantes luminis irae,
sed pudor iste fuit, vitio quod morbida caeli
gens invicta manu tam foeda clade periret.
Auspicio meliore novos procedere menses
astra jubent, quae certa fides, testata favorem
in primore domo. Sit fas ita dicere, caelum
non potuit veniam pretio majore mereri.
Foedere signantur thalami concorde penates,
postquam luctus abit : nec enim subtraxerat illos
Parca sibi, contenta domos vastare minores.
Vidimus heu miseri. Sed enim lux festa referri
jam prohibet lacrimas, sinceraque gaudia poscit.
Ille togae princeps, quem patria luxerat orbum,
jam socer est, audetque alios sperare nepotes.
Incluta progenies virgo defuncta periclis
nuper, et ereptae nimium vicina sorori.
Ibit in amplexus, maternaque gaudia discet
aequali sociata viro. Nos fecimus omnes
invidiam fato, tunc cum dolor ureret artus,
et decus hoc formae mors in sua regna vocaret.
Dum dubitata salus, metus et lamenta fuerunt
publica : privatum laribus nil contigit istis.
Sed populi gemitu Lachesis devicta remisit
hoc caput, et patri natam dedit, ille marito.
Sanguinis illustres titulis, legumque potentes
convenere domus, et patria foedere in uno
commisit decus omne suum. Connubia non haec
mortales fecere manus ; namque ipsa suorum
rectorem sobolem sub vincla tenacia misit
pronuba felicis regina Batavia lecti.
Stare jubet currum, quo magno saepe triumpho
signaque captivosque duces respexit Iberum
sub juga mox necti geminos ferrata, leones
jactantes cervice jubam, Berecynthia quales
mater agit, teretique citat per inania buxo
audiit imperium superari nescia virtus,
injecitque feris Libertas ipsa lupatum.
Hae semper dominae comites, seu Martia bellum
Roma parat, sociosque jubet servire Batavos,
seu gens saeva Tagi, populum crudelibus urgens
imperiis, pariter leges atque otia turbat.
Hinc ubi flammiferis demersa paludibus ora
exeruit veneranda parens, insultat in axem,
peltatas imitata nurus, potiusque Minervae
in speciem : sic vultus erat bellator, et idem
sedatus ratione tamen : sic gratia simplex,
ut nihil augusta de majestate periret.

Aurea gemmatam stringebant cingula vestem,
quae genuum demissa tenus radiabat Eois
mercibus, atque alio raptis a littore praedis.
Tantas praeter opes, quas contulit axis uterque,
fecerat ars pretium : variaverat ipse figuris
tegmina Nereidum populus, dominaeque potenti
nobile sub vitreis munus properaverat undis.
Corniger hic Rhenus, Mosaeque ruentis in illum
ostia : sed geminum qua flumen desinit orae
ultima caeruleo lambebat gurgite Tethis,
et quantum Batavis famulatur classibus aequor.
At coma non molli fluitabat devia cultu,
sed nodis implexa sibi geminaverat orbes
aurea caesaries, rutilo quam spuma colore
tinxerat : hunc etenim capiti concessit honorem,
ex quo rasa comam, cum primum tristia fugit
imperia, et totum pepulit cervice Tyrannum,
erexit genitos in libertate capillos.
Talem quadrupedum moderamem colla capistro
abripit in caelum Boreas : patuere sereno
nubila, laxatusque dies quacumque veniret.
Jamque procul terras flatu subvecta ministro
deserit, et septem succedit cominus astris.
Lactea sidereos interjacet orbita cursus,
heroum domus ; hic niveo candore coruscant
semideum ingentes animae, dignataque caelo
nomina. Dispexit proceres Germana virago
agnovitque suos. Quanta se mole ferebat
obsessor Veterum Civilis, regia proles,
permagno decus Arminio ? Cui proximus ibat
Cariovalda ferox animo, victorque Cherusci
morte sua ; sequitur Cauchorum optatus ab armis
Gannascus populatur aquae. Tum cetera turba
qui sceptrum tenuere manu, sine rege Philippo
hi Cimbros docuere truces, gelidique Trionis
agmina, littoribus classes avertere nostris.
Hos Pelusiaci sequitur pia laurea Nili,
impositumque jugum Frisiis, et limite ab omni
rapta tropaea manu : sed victor Arausius ibat
ante alios, venas et pectora saucius empto
vulnere, vindictamque ciens, huic fidus, ut olim
haerebat Mylius lateri : nam saepe solebat
ancipitis belli dubias committere curas
illius arbitrio ductor, fideique probatae
consiliis armare manum ; mox prima potestas
et radians sanctae Themidis jubar, inque Senatum
jus datur. Egregium mirata Batavia civem,
"Hic Mariae socer, inquit, erit", gavisaque laeto
omine sublimi gressum celeravit Olympo :
depositas tamen ante rotas, dum permeat ignes,
mandat Erichthonio, defrenatosque jugales
mittit ad Arcadici socialia sidera monstri.
Illa petit caeli spatium, qua vergit ab Arcto
signifer, et medio libratur pondere Mundus.
Haec data Justitiae sedes, hic cardine vasto
Autumni patuere fores, caelique refulsit

concilium. Tanti coetus afflata corusco
horruit adveniens subito ; stupefacta vicissim
gens superum, poterantque Dii timuisse videri.
Ordine discretas habitabant Numina sedes.
Bisseni primum proceres, quae plurima votis
turba, sibi complexa Jovem. Regione secunda
Pierides laudumque cohors, Parcaeque sorores,
totaque plebs superum. Subiit sua curia mente
belligeram Rheni sobolem. Sic namque priorem
nobilitas tenet alta gradum. Brederodius illic
a Byzantino veniens diademate sanguis,
Cattaque progenies. Urbes atque oppida census
alter habet, Batavasque tribus nostrasque curules.
Hos inter medius, Phoebei luminis instar,
cujus utrimque jubar totidem se in sidera fundit,
demittique suos caelo, simul erigit ignes,
assidet ordinibus geminis certissimus auctor
consilii, qui mentis opes partitur in ambos
ingenio linguaque potens. Hoc fonte Batavis
et sociis edicta fluunt : hoc patria gaudet
ore loqui, cum sancta petunt oracula gentes.
Postquam constiterant vultus, Nymphaeque Diisque
permutata salus, laevum tangente Tonantem
caeruleus frater solio surrexit, et arma,
submisit veneratus heram. "Clarissima terris
diva, prior Neptunus ait, cui jura tridentis
cessimus, o sparsis per tot mea regna carinis,
circumfusa polo, bellique acerrima nutrix,
ad superos quae causa viae ? Rursusne Batavum
moenia claudit Iber, Lugdunique obsidet arces ?
Jam ruat Oceanus, teneant neque littora pontum
arvaque succumbant laxatae gurgitis undae.
Puppibus an stravit gens Calpetana Britanni
claustra maris ? Pereant vectores vindice flamma,
aut mergantur aquis. Quod si tibi foedere rupto
intestina graves agitat discordia motus,
di facient partes. Nam quae non littora servant
fata tibi ? Quantis olim dominaberis oris ? "
Illa refert : "Gens magna Deum, tuque optima votis
Juno fave. Nullas equidem in discrimina belli
posco manus : procul hostis abest, qui sanguine nuper
aequoreas infecit aquas, cum stragibus auctae
littoris aequarunt fabulosa cacumina valles.
Tam prope nec nobis Tartessia castra timentur,
quos urbes amnesque tegunt, quos mille cohortes,
Barnveldi quos cura vigil. Custode quis illo
pectora securo neget indulgere sopori ?
Tunc quoque ductoris cum mens vesana Britanni
calcaret leges, in bello bella pararet,
et quateret strictas in libera colla secures,
nullos maesta Deos adii : suffecit ad illum
ferre preces. Cessit metus, et commune periclum,
ut subiit trepido nutantem pondere molem.
Non aliter pacem pelagi turbante procella
cum nautas deprendit hiems, et condita caelo
sidera ; naufragii terret praesentis imago.

Tum si forte seni puppis permissa magistro,
ille cavet fluctus, et mortes inter ab arte
tutus abit, parcitque diis, et questibus aures
exonerat, Neptune, tuas. Dedit ille Batavis
non opus esse Diis ; nec nunc oranda putarem
numina, ni staret menti sententia, gratas
ipsi ferre vices, ipsi mea cura laborat.
Namque meum columen pro tanto munere, pro me
sospite quid debet caelo, cui damna suorum
imputat ? Ut fratrem sileam, vernantibus annis
digno nupta toro, nec adhuc satiata juventae
filia debuerat jam vivere Praesidis uxor.
Hoc pretium excubiis, indefessoque labori,
an levis usque adeo servati gloria Rheni ?
Culpa sed, o superi, tantaeque licentia cladis
officio mutanda datur. In gaudia cedant
immeriti luctus. Sic vos absolvite nobis.
Est illi pars quarta domus, nunc tertia, virgo
magnis major avis. Nam formae dicere laudes,
cum superent animi, gravis est injuria morum.
At quam non muliebre sapit ? Quam castus in omni
ore lepor ? Vultus quam certa modestia, sortem
dissimulare suam, nec patrem fronte fateri ?
Sed quid ego haec, Superi, vobis ? Agnoscitis ipsi
concilii caelestis opus, multaque Deorum
dote laboratum, qui nullo in pectore tantum
concessere sibi, postquam pet munera victrix
nomine non falso terras Pandora reliquit.
Ipsa Venus donis, et triplex Gratia vinci
mirantur potuisse suis. Huic sacra puellae
jura tori, sobolemque peto, quo pluribus instet
praesidiis suffulta domus, nec desit in aevum
tam generosa meos proles rectura Batavos.
Quemque suum coluit semper venerata parentem
patria, rursus avum, Maria genetrice, salutet."
Respondere toris et gaudia tanta mereri
<..> Mylius, vel nemo potest. Sublimis et illi (scan défectueux)
sanguis : equo praelustris avus, genitorque per artes
Palladis ascendit summi fastigia juris.
Egregium juvenem, superaturumque parentes
nobilitas geminata tulit. Mens ardua fulget
a puero, semperque suos sibi praerogat annos.
Nec potuit tantum properare volatilis aetas,
quantum crevit honos. Prima lanugine pingit
barba genas ; primo vestitus flore juventae
ante capit jam corde senem. Quis computet aevum ?
Vincuntur Pylii quinto tria saecula lustro.
Jamque per immensum cursus circumtulit orbem,
dum mores, dum regna videt : peragitque secundum
laetus iter, spernitque hiemes, aut provocat aestus,
et tanti sapuisse putat. Non Troius olim
advena, non tantis erroribus actus Ulysses.
Hunc mihi caelicolae proprium venerandaque lecti,
vincla precor. Donate virum dominaeque mihique,
quem socer excelsus sua per vestigia ducat."
Dixerat. Arrisit leviter Cyrherea, sibique

plausit Hymen. Regina Deum, magnusque probavit
Jupiter : ingenti tremuerunt caerula nutu.
Aliger ex turba legitur puer unus amorum
notus utraque manu, facibusque et vulnere divum.
Laeserat hic Bromium, cujus Minoia caelo
serta micant, regem maris Oceanitide Nympha,
raptoremque Deae patruum, Venerisque maritum.
Hic dederat cupidi complexibus Herculis Heben.
Senserat ipse Tonans puerum, non cornua falsa
fronte gerens, non cum penna sua nubila tranat
remige, non furti pretium mentitus adulter,
sed vultu profitente Jovem, veroque videndus
numine, cum magnae periit secreta sororis.
Tum Venus : "Heus Mylium, quocumque sub axe vagatur,
quaere polo metuende puer : seu frigidus Ister
spumanti calcatur equo, seu maxima rerum
Roma tenet, Venetique patres : nam moenia Celtae
credo equidem Rhodani, Tamesisque reliquerit aulam."
Sic ait, et volucrem dimittit in aethera natum
nec verbis factura moram. Volat ocius ales
sidere quod subito signavit tramite nubes.
Terque quaterque oculos devolvit in infera caelo,
et Mylii rimatur iter. Vicinus Olympo
Alpinas terit ille nives, qua proxima cerni
summa pruinosis rorabant culmina saxis.
Tum puer : "Has inter rupes securus amorum
dum ruis, et medio credis te frigore tutum,
accipe vulnus, ait ; certe juga nulla rigenti
stricta gelu solvent, quos haec manus asseret, ignes."
Haec ubi dicta, simul sonuit gravis arcus, et ictu
pervia non uno patuerunt pectora telo.
Ingeminat decies auratae tela Pharetrae
saevus amor, nec, flamma manu jactata fefellit.
Sensit inexpertum juvenis sub corde calorem
saucius ; ipse, prius lentos, incusat amores,
fitque exsul non sponte sua. Jam tristia sordent
quae durus colit arva Ligur, picturaque caeli,
ambusti Phaethontis aquae : tu sola Batavum
terra places, et vultus herae. Jam flumina damnat,
conqueriturque suos montes obsistere votis.
Praecipitat dominae reditus absentis imago,
nec fert cura moras. Tandem natalibus arvis
laetus adest, flammamque ducem, patriaeque secutus
vota, suis iterum ponit vestigia ripis.
Inrerea, et dominae pectus mucrone Cupido
strinxerat, imbelli meditatus vulnera nervos.
Non prius adducto sinuavit fortirer arcu
cornua, non ausus totas in vulnera vires
ferre puer, multumque sibi Mariaeque pepercit.
At simul ipse redux sua vota revisit, Amore
plus profecit amans : adjuvit protinus ictum
cara manus, summoque natans in pectore cuspis
haesit et impressae leviter tepuere medullae.
Qualis vere novo tellus, cum frigora brumae
egelidi minuunt zephyri ; nondumque calentes
lene tamen primis aspirant frondibus aurae.

Quam nihil humani servat solemnia ritus
caelicolis curatus amor ? Maturat Olympus
jussa sibi. Non pulchra diu Ledaea minorem
torserat Atriden, non Pelea mater Achillis.
Luna suum Mylio non una peregerat orbem,
jamque redux, et sponsus erat. Gratantur amici
adventum, thalamosque simul. Domus utraque servet
officiis : non aula deest, non curia Patrum.
Principibus radiant aedes, populumque clientem
et Batavas matres amplecti tecta laborant.
Et jam laeta dies, quamvis properata marito,
tarda ramen votis aderat, niveosque lacertos
et sperata diu spondebat gaudia Vesper.
Partibus adversis aequaevae gloria pubis
stant Mylii Mariaeque chori. Non agmine tanto
Silenos Satyrosque trahit Semeleius Evan
arva Mimalloneo quatiens Gangetica thyrso ;
non Venus Idaliis olim comitatior exit
arcibus, aut Cynthi virgo Latoia silvis.
Orbis opes tenet una domus : velamina Coa,
quaeque suis Seres depectunt vellera ramis,
non satis ad cultus, nec quicquid Lydius amnis
hostilisque Tagus rutila despumat arena.
Accedunt ignes lapidum : subtemina gemmis
picturata virent, et stagni concha rubentis
temperat Eoas candenti germine flammas.
Ipsa fores intrat censura Batavia, quanti
tota foret, coetuque suas metitur in uno
divitias. Et, dum circumspicit omnia, tantum
miratur vexisse rates. Sed in ordine toto
fulgurat ante alias substricta monilibus Indis
compositae suggesta comae pulcherrima conjux,
cujus Hydaspeo gemmas variata metallo
alternos radiis miscet cinctura colores :
tegmine nec solo supereminet : est quoque formae
primus honor ; sic sidereos intermicat ignes
multa polo Phoebe, coiit cum cornibus astrum.
Virgineas quantum Mylii nova nupta catervas,
tantumdem premit ipse viros. Hoc sexus uterque
certavere toro. Vultus decor iste marito,
corporis haec species, qualem nec carmina quondam
semideis mentita suis. Tum maxima Rheni
natarum, placidae frondes innectit olivae
crinibus, et junctos altrix affatur amantes.
"Nobile conjugium, quicquid meruisse parentes
aut nostrae potuere preces, Fortuna peregit.
Nominis eximii titulos, censusque beatos,
optarem, nisi vestra forent. Nunc poscere serum
quod spectare datur. Thalamis indicere pacem
diffidentis erat, gratum nec amantibus omen.
Unum, quod superest ; magnae dare pignora gentis,
rectores, properate, mihi. Dicionis avitae
vestra manus soboli longe transmittat habenas.
Qualis erit, quantusque puer, complexus utrumque
Barnveldi Myliique genus ? Pater ipse superstes
vos videat, vestraque diu de stirpe nepotes."

331 Audierat Lachesis, longaevaque fila maritans
332 nevit Jasonii felices velleris annos.

## DOMUM DUCTIO MARIAE VANDER DUYN, REGINALDO BREDERODIO NOVITER NUPTAE.

S3_02 v.1 Cernitis ? Exuviis, juvenes, et virgine victa,
2 sponsus ovans laeta ducit de nocte triumphum.
3 Cernitis innuptae ? Vestrum decus aurea tangit
4 sponsa fores : venit aequalis deducta marito,
5 aequalis, sed prima tamen. Jam dicite longum
6 supremumque vale : vitam transitur in illam ;
7 vos etiam quo vota trahunt, sed vota parentum ;
8 vestra tamen quoque vota quid est hoc dulcius uno ?
9 Cernitis, ut thalamus lacrimas consumpserit omnes.
10 Dicite jam juvenes, jam respondere puellae.
11 "Laeta venis igitur tam magni Praesidis uxor,
12 nec te jam gemitus nec te lacrimaeque moraeque,
13 sponsa, juvant ? Tantumne tibi, tibi, Dunia, tantum
14 tres noctes potuere ? Veni pulcherrima rerum :
15 haec te tecta vocant, haec te intra limina rursus
16 osculaque amplexusque manent, et conscia lusus
17 sidera, et in solem dilati copia somni.
18 Hic iterum molles risus, blandique lepores,
19 et quicquid docuit prima te nocte maritus."
20 Dixerunt juvenes ; jam respondete, puellae.
21 "Quid tibi crudelis, qualis non ante fuisti,
22 sponse, fuit, quod sic nostris avellere nostram
23 lusibus, inque tuos velles transferre penates ?
24 Qualiter innumeros inter quae regnat odores
25 rore novo Zephyrisque tepens rosa, lilia quamquam
26 et violae circum trepident, si carpitur una,
27 quaeritur una tamen viduataque prata relinquit.
28 Nos quoque jam, nostri fuerat quae gloria sexus,
29 perdimus aequales, et turba relinquimur orba."
30 Dicite jam juvenes, jam respondere puellae.
31 "Cinxia, seu Juno cupis Ilithya vocari,
32 Cinxia matronis, sed matribus Ilithyia,
33 hos tibi commendat Paphia cum matre Cupido :
34 hos tibi tradit Hymen : currant innoxia vitae
35 stamina, da pretium meritis aequale, precamur,
36 et fortuna nihil post tantos peccet honores.
37 Non alias melius deceat concordia mentes
38 prima Deum : non ulla fide propiore ligentur
39 pectora : quid valeant hic experiantur, Amores."
40 Dixerunt juvenes, jam respondete puellae.
41 "Aurea virginitas (nec enim te nomen inane
42 credimus,) unde tui, postquam conjungere somnos,
43 et lecti magna placuit decedere parte,
44 tam facilis jactura venit ? Quam vidimus ipsae
45 foedera jam pacti metuentem prima cubilis,
46 dum vix e nostris raperetur maesta choreis,
47 ut nunc, o sociae, praefert interrita vultu
48 gaudia ! Quid ? Nostri num tam cito paenitet illam ?
49 Paenitet, an cogunt etiam gaudere mariti ?"
50 Docite jam, juvenes : jam respondere puellae.

"Bosphorii reges, et sceptri culmen Eoi,
quorum in Cattigenas ingentia nomina nostros
transtulit alterius Didrici sanctissimus haeres,
unde parens Sicco Brederodaque venit origo.
Ecce ducum soboles, et vester sanguis uterque
jungitur, et quantum Batavorum sospite fas est
libertate potens, magni caput ille senatus,
Duniadum gener est. Dabit hic torus ordine longo
bis numeraturos fastigia prisca nepotes."
Dixerunt juvenes : jam respondete, puellae.
"Maxima progenies, facies pulcherrima virgo,
virgo quidem nuper, sed nunc matrona vocaris,
tune igitur nostri, et nobiscum desidis aevi
immemor ? An saltem cantus sociare jocosque
tam grave, nec poteras paucas nos fallere luces
virgineis permissa choris ? Tamen ibimus omnes,
ibimus, et felix scribemus in arbore nomen,
nomen, Nympha, tuum : deerunt nec florea serta
frondibus, et molli spirabit truncus amomo."
Dicite jam, juvenes, jam respondere puellae.
"Nascere fortunae promissum nomen avitae
et patrias laudes (quamquam vis vicerit illas)
vince, puer : prima certum genus indole monstra.
Semina virtutis, niveos sub pectore mores,
ingentes animos doctrinarumque capaces,
invictamque suo curarum pondere mentem,
et totum genitoris habe. Veenhusius alter
in leges, et jura veni, sublime senatus
imperium, et similes taedae meriturus honores."
Dixerunt juvenes : jam respondete, puellae.
"Nascere, formosae formosa parentis imago,
par niveos vultus, par ora rubentia, virgo,
fulgentesque genas, et casti plena pudoris
lumina, sed pariter festivi plena leporis.
Filia qualis eris, referes si filia matrem ?
Cui par nulla solo graditur spectanda Batavo.
Mox tibi, nunc quantum nos omnes Dunia vincit,
tempore venturo forma cedetur ab omni,
et certamen erit tantum de laude secunda."
Dicite jam juvenes : jam respondere puellae.
"Aeternae leges, et custos maxima legum
curia, quam clausit flagranti Sirius astro,
ne pacem turbate fori : civilia cessent
classica, longa togis discordibus otia durent.
Non vacat in solitos curam perferre tumultus,
et sua castra duci. Rector jurisque, forique,
quam praestat Batavis, ferat hanc Astraea quietem :
conjugis in gremio dum dulcia bella parantur,
et leges aliae placidis scribuntur in ulnis."
Dixerunt juvenes, nec respondere puellae.

## EPITAHALAMION CASPARIS KINSCHOTII, ET MARIAE DE CHANTRAINES, DICTAE BROUXAUX.

S3_03 v.1 Quae tam blanda ferunt virides suspiria fluctus ?

Cur Boreas tam lene sonat ? Quo frigora motu
exuit antiquos oblitus Erichthidos ignes ?
Unde tener ros iste levi qui littora tactu
mulcet, et in molles quae frangitur unda susurros ?
Quis rubor hic ? Nostras quae purpura vestis arenas,
Eoo vix quanta mari ? Tuus ille renidet,
Kinschoti, tuus ille dies : thalamumque jugalem
sic natura dedit Batavum trans aequora cerni.
Mollibus hinc Nereus animis, aestuque canoro
stringitur, et memores diverso littore felix
conjugium pinxere rosae. Dum pronuba flammis
te Flissinga tenet, regnatrix maxima ponti
Nereidumque domus : formosos nutrit amores
illa tibi. Quis tam veteri male credulus aevo,
qui nunc Oceano neget aurea sidera pasci,
inde novae toties reparari cornua Lunae,
Phoebeasque faces alios consurgere in ortus,
si tibi, quae superis Bruxavia pulchrior astris,
ex Valachro deducta mari, si tantus ab ipsis
ardor aquis ? Pelago non venit gloria major.
Cum Jovis aequorei complexibus Amphitrite
accepit dotale salum ; nec Thessala Tempe,
cum Thetis Haemonium non dedignata maritum
contigit innumeras inter stipata sorores.
Tu mihi, responsant gratae cui carmina rupes,
caeruleae Triton moderator prime choreae,
felices ordire modos : quis suasor utrique
instaurare torum ; quo sub duce nota retentent
gaudia. Sic fugiat rorantes parcius artus
Pistricemque tuam celeri Panopea natatu.
Sic placeas Nymphis, rauco cum murmure circa
littus utrumque tonas, nec te tua buccina fallat.
Est inter Valachrum portus, Brabantaque ripae
nomina, subter aquas, tota secreta profundo
vitrea Nympharum sedes, qua fine jugantur
Mosa pater, Scaldisque pater, multisque refusi
cornibus advolvunt sese majoribus undis.
Incertus color inde vadis, cumque aurea miti
redditur in pelago Phoebi radiantis imago,
hic tantum non una dies Thaumante creata
Virgo trahit quales arcu sitiente figuras.
Composuere Deas fluvii, cursumque secutae
Naiades humenti thalamos posuere sub antro.
Nec minus Oceani socialis turba puellae
exercent hic saepe choros, aut brachia lassant
fluctibus, aut flavos siccant in littore crines.
Sic illas vidisse putant, quos insula circum
plurima diffundit populos. Miratur in uno
nauta loco saevas adeo siluisse procellas,
nilque notos audere truces, nec languida torpent
aequora, sed faciles ludunt in fluctibus aurae,
et secura tument clementi carbasa vento.
Digna Deis sedes. Gemmarum fulta columnis
aula micat, certatque polo, lucemque reponit.
Huc labor, huc omnes regni coiere secundi
divitiae, rutilant Phrygiae quo flumina limo,

quicquid Erythraea mersum legit Indus in alga,
quod miserante Pado lacrimat pia silva sororum,
concretaeque nives. Venus his succedere tectis,
ipsa Venus, gaudet, quoties natale revisit
aequor ; et invehitur patrias regina per undas.
Aestus erat, multumque maris permensa Cythere
victrices dum forte rates classemque Batavam,
velaque in Ostendae toties redeuntia portus
spectat, et Hispanos ad moenia tuta sedentes,
illic flumineis quaesitum frigora lucis
iverat. Interior nam qua spelunca recedit,
texitur aeternum myrto nemus : herbida circum
prata jacent. Molles hic se Dea fudit in umbras
florum fulta toris, interdum gramina laeta
et Zephyros juvat et fluvios audire sonantes.
Atque ibi dum curas animo, dum taedia ponti
excutit, et blandos toties respirat odores,
tandem sidereo satiatam pectora somno
occupat alta quies. At non gens mollis Amorum
cum genitrice jacet. Pars eminus ordine nullo
per virgulta ruunt ; pars certant missa per auras
tela sequi, pennisque suas aequare sagittas ;
aut violis implent pharetras, aut roscida ramis
mella legunt. Sunt et trepidis qui vulnera figunt
arboribus, nulloque minas in cortice perdunt.
Mox ut quaeque fuit puerili saucia ferro,
arbor amat : coeunt felici brachia nexu
et petit amplexus frons inclinata maritos.
Agminis aligeri lusus, dominaeque soporem
turbavit subitus Zelanda clamor ab urbe,
et plausus hilares exauditaeque per aequor,
dum late silet unda, fides. Simul inscia rerum
Cypris, ut haerentes oculis cessere tenebrae,
mollibus et stratis cubito subnixa resedit :
"Quid tantum cantatur ? ait. Quo cardine pompa
prodit, et an nobis, pueri, sonat iste triumphus ?"
Astiterat pharetrata cohors, sed celsior unus
sidereo fratres supereminet ore Cupido.
Illos Idaliis Nymphae fovere sub antris
mille simul pueros. Hunc experientia solum
Cypridos excepit gremio succosque salubres
tradidit, et vires crescentibus addidit annis.
Integer ostentat nullo corrupta veneno
membra manusque puer. Non hic intacta lacessit
corda ferox, sensusque rudes ; non pectora libat.
Sed semel exhaustos violentior ingerit ignes
defungique vetat. Nondum sanata recessit
plaga prior, venas aperit cum rupta cicatrix.
Huic fert exanimes obscurior omnis Amorum
turba faces : novat hic aliis incendia flammis.
Ante sed immemori Lethes mersatur in unda
lampas, ut antiquae veniant oblivia causae.
Diffugiunt luctus ; exuritur atra doloris
funesti rabies, et inanis cura sepulchri.
Hic facit ut victrix mortalia corda superstet
invidia leviora Venus saevisque medetur

mortibus, et viduis excusat amantibus ignes.
Hunc contra nec fata valent. Ad blanda parentis
oscula tunc titubans circumsurgentibus herbis
reptabat, dubiosque pedes firmaverat alis.
Inde refert : "Meus iste labor, qui fertur ad aures,
mater. Et ignoras, tantis ditata tropaeis,
quis jaceat, telis quem debellaverit arcus ?
Usque adeone tenet mentem sopor ? Ultima norunt,
littora, victores veniunt quocumque Batavi,
nescit adhuc quod sola Venus ? Reparantur in uno
foedere bina simul nostri dispendia regni.
Nec modicae coiere domus, sed origo parentum
nobilis, et magni nobis creduntur honores.
Quem latet immensum genii jubar, altaque virtus
Kinschotii ? Cujus saturati nectare mores
plus taedis ussere meis, dum laetus amoeno
pectore non omnem sinit effluxisse juventam.
Quamquam magna virum moles, curaeque fatigant
undique, nec quisquam tantos suffecit in actus.
Hunc, qua jure suo fruitur dominumque recusat,
patria, supremi vocat ad fastigia juris :
hunc Brabanta Themis suffragia poscit alumnum,
et leges quas calcat Iber. Geminata potestas
arbitriis aulae. Caeli justissima cura
terrarumque salus, princeps ingentior orbe,
cui dat victa suos domitrix Hispania Mundos,
unius elegit curas, sanctisque laborum
arcanis haerere dedit. Prudentia tantum,
tantum nota fides. Digestus creditur auri,
Nassaviae mandantur opes, magnique tributa
sanguinis, et centum per avos demissa nepoti :
quod domino laetis de messibus area dives
seposuit. Quicquid servata Batavia donat
sed meritis confessa minus, quas littoris Indi
puppibus Hesperiis jussae rapuere carinae
divitias, Aurora duci quae munera misit.
Hunc ego tanta parens, inter molimina rerum
tristia deserto maerentem fata cubili,
hortabar sperare toros, et prisca redire
sub juga. Nec nostris cor impenetrabile telis
illud erat. Quin gnarus, herae quid dulcia possent
oscula, quam niveis infundi dulce lacertis,
cesserat. Infelix, donec, Chantraenide visa,
mansurae venere faces. Quam fixa medullis
vulnera ! Vidisti, quoties immite recurrit
aequor, et in mediis flammas non perdidit undis.
Sic Athamantei nimium contemptor ephebus
gurgitis ad visos ardescens virginis ignes
incendebat aquas, exarmabatque procellam
pectore. Victrices sic qui rigat amnis olivas,
pulvere Pisaeo lapsus procul hospita, subter
aequora Sicaniae, dilecto Naiados antro,
intemeratus adest. Ipsum mare servat amanti
oscula, nec dulces corrumpit fluctibus undas.
Illa per infamem non una virgine pontum,
illa per Ionios fluctus magis una meretur.

Forma peti. Quis frontis honos ! Quae gratia visus !
Et castigato quam laeta modestia vultu
insignes testatur avos ! Non cognita nuper
stemmata, sed meritis, et avitae conscia laudi,
Chantraenos patriis inscripsit Flandria fastis.
Hinc animi, virtusque truci suspecta Tyranno,
et mortem patriae pro libertate pacisci
haesit post genitis. Illo quoque sanguine multum
defletur pietas. Felix, qui crimine nullo
tantum cum patria miser est, causamque dolendi,
quod sit civis, habet. Communi pressa ruina,
cum leges, omnesque boni, cum jura jacerent,
haec jacuit ; secum prostratam publica fata
subrexere domum. Series hinc laeta dierum,
nec de plebe torus paucos duravit in annos ;
atque iterum luctus, sed qui mihi traderet illam.
Nunc insignis honos, nunc tandem munere nostro
irradiat lux alta lares cunctasque subegit
eluctata vices tam clari nupta mariti.
Non durus de more chalybs tam mollia laesit
pectora, non Siculis hausti fornacibus ignes.
Ipse ego flaventes infeci melle sagittas ;
ipse acui Lydis attritum cotibus aurum
et matutino petii de sidere flammas.
Hoc est conjugium, quo se Fortuna probavit
nosse trahi meritus. Quaerat licet ardua virtus
se contenta nihil, securam sponte sequuntur
divitiae. Veris miscet se laudibus ultro
census et affectat titulis accedere tantis.
Jamque diem votis, restat quae sola, mariti
pronior axis habet, signumque exspectat Eoo
carcere fraternis Phoebe succedere regnis.
Fasne tibi cessare parens ? Jam stare cubili
debueras festaque caput vincire corona.
Vix Amor haec : nec Diva parens contata, repente
exsilit, atque, ut erat leviter turbata capillos,
peccarat quodcumque sopor, sine lege relinquit.
Neglectae decuere comae : superaverat error
quicquid cura potest. Paribus discriminat ingens
sulcorum spatiis, et apertum dividit orbem
concha Cytheriaci donum maris : omnis in una
est color, et niveae tractus in murice testae
caerulei venis interlucentibus errant.
Haec Veneri tunc cymba fuit ; sed concava sedes
emollita rosis, prima quam nocte natantem
propellebat aquas referens in littora pontus,
auxiliumque viae famulantis spiritus Euri.
Mille pharetrigeri circum palantur Amores,
mille maris Nymphae Nereides. Agminis ille
ductor erat qui causa toris. Hunc maximus alto
portabat Delphin. Bipedes pars illa juvencas,
caeruleos haec frenat equos, haec navigat alis.
Ipsa polo tantum resupinos aurea vultus
haeret, et a caelo nusquam movet ora Cythere.
Quaerit enim quantum cunctos suus Hesperus ignes
praeradiet, quot stent supera Jovis arce puellae,

furtivumque genus ; num transfuga rursus Olympi
Endymioneas invadat Cynthia noctes.
Inclusit mox portus iter, sponsaeque penates
adventu patuere Deum, strepit aula choreae
plausibus, et longe cithararum fertur imago.
Illa autem (nec enim differt sibi pacta maritus
gaudia) jam primum thalami consederat ostro
aequaevis erepta choris. Stola plurima circum,
primoresque nurus. At gens innupta puellae
liminis obsidunt aditus, dum jura morantur
conjugis, et cupidum dominae cervicibus arcent.
O bona simplicitas, placidi certamina lecti
secura nubente timent, sociamque verentur,
grande nefas, tantis nudam objectare periclis.
Nectit et ipsa moras. Blandus sub corde recursat
usque pudor. Tandemque viro data copia magnae
noctis, et expertae non infitianda voluptas :
praesertim nitidae cum jam descendere vestes
incipiunt, rubuere genae, multusque per ora
sanguis iit. Subito diffundi laetior aer,
et lux in thalamum gradientis praevia Divae
nocturnas superare faces. Simul ille cohortis
signifer Idaliae genialia fulcra Cupido
floribus innumeris et odora messe coronat.
Advolitant pariter fratres : violasque, rosasque
liliaque, et vernos calathis gemmantibus imbres,
aut costum, casiamque serunt, aut spargere certant
rapta revicturi phoenicis cinnama busto.
At Dea se thalamo Nymphas praegressa ferebat.
Pone ferox ardensque sequi sua vota maritus
impulit : hunc, cesto leviter parcente, flagellans,
constitit aetherio juxta Chantraenida vultu.
Ut gemini quondam vicino cardine soles
divisere diem, dubiis nec constitit astris
quem faceret natura ducem ; sic limite parvo
tunc Veneres fulsere duae : vix luce minores
stringebat vultus mortalis gloria formae.
Mox regina Paphi, salve, clarissima, fatur
progenies, rarumque meas decus inter alumnas ;
nec tibi discinctu facilem, noctique paratam,
sit pudor exuto melius velamine cerni :
sic ego te, sic iste cupit. Inconscia servet
hunc sibi virginitas morem, trepidetque coactus
quod debet nescire pudor. Tibi nostra pavendi
munera praegrediens consumpsit taeda colorem.
Hoc unum ; rudis esse time. Jam murmur amicum,
jam molles meditare jocos ; quae mutua reddas
oscula, quo manuum jungantur vincula nexu.
Cumque animos gemini jam conciliaverit oris
halitus, amplexu cum longo fota calebunt
pectora, ne precibus nimium contende mariti :
cede, rogo. Tuque o, sobolis cui pignore tanto
fulta domus, perrumpe moras, nec parce neganti.
Si bene te novi, non tradita gaudia malles :
plus vicisse juvat. Felices ludite, dulcis
hoc sudore sopor venit, his concordia rixis."

Sic ait, et cupidos tandem committit amantes.

## EPITHALAMIUM JOANNIS BORELII, ET AGNETIS HAYMANNAE.

S3_04
Scilicet invenit non mollis praemia curae
fidus amor ; ductae per tristia somnia noctes,
et tardi soles et mors prope visa dolenti,
sub tanta mercede placent ; tuus ille, Boreli,
sed tecum meus iste dies, nec laetior olim
post Libycas acies et Poeni proelia Martis
Laelius ascendit currus victoris amici.
Ille ego curarum socius, testisque laborum,
cui gemitus tu saepe soles, cui gaudia mentis
credere (nam miseros sors utraque versat amantes)
spem pariter luctumque tuli ; tibi vota meaeque
sudavere preces ; quin tum cum victa dolori
succubuit mens aegra suo, tua vulnera longe
et rapidas febres terris semotus et undis
sensi equidem, et, siquid posset vox nota mederi,
ire adeo, et Valachris volui consistere terris.
Non etenim infirmis animi radicibus haerens,
fortunae arbitrio vulgi qui pectora versat,
nos sociavit amor, sed puri candida moris
regula corque tenax generosi semper honesti,
me cupidum fecere tui, dum perdita quaero
tempore funesto melioris signa metalli :
non aliter media quam surgens nocte viator
obscuros lustrat cineres, tum forte micantem
scintillam rapit et toto fovet obvius ore.
Jam quid ego hic memorem quam tu non impiger umquam
volvere divina fulgentem lege papyrum,
quasque notas Oriens diverso tramite signat,
et quidquid docuit facundis Graecia verbis,
tum conducant populis exempla regendis,
quo domitas gentes pacarint jure Quirites.
Nec tamen, ut multis, aevi monumenta vetusti
exhausisse satis. Sed saecli discere vultum,
cura tibi, et quantum noster mutaverit orbis,
cernere ; non tantis erroribus actus Ulysses
aequavit profugus Trojani tempora belli.
Te Tamesis regnum, te dives Sequana novit,
Pannoniique amnes et primo gurgite Rhenus.
Non Itali mores animos flexere viriles,
non mite ingenium corrupit barbare Thrace.
Quam nunc dulce oculis quondam conspecta, sagaci
perlustrare animo, atque alio te quaerere caelo !
Aut apud antiquae certantia moenia Romae
Byzantisque domos, rapidis ubi Bosphorus undis
distinet angusto coeuntes limite terras :
aut qua se in ripas aestivo flumine tollit
Nilus, et a pluviis non pendent nubibus arva,
et vastae tenui consurgunt vertice moles ;
aut Syriae in campis, ubi limi gleba rubentis
creditur humanam primum sumpsisse figuram.
Hic homo divino tentatus membra sopore,

ut sibi donatum corpus de corpore vidit,
ignotum penitus traxit vitalibus ignem.
Unde amor et gemini felix concordia sexus,
ne vita auxilio, neu vita mundus egeret.
Tene ego praeteream, sanctorum patria vatum,
vagitasque deo cunas, et flebile regnum :
et quibus excedens posuit vestigia terris
humani pastor gregis, et quibus ille sub oris
sobria non genito mutavit pocula vino,
laudavitque novo geniales munere taedas ?
Idem, ne dubita, tua nunc haec foedera praesens
approbat, hoc sponsore tibi tua ducitur Agnes
aetatis flos illa suae, quam prospera fata
speratam multis, optatam pluribus, uni
seposuere tibi. Non ergo longius ignes
dissimulat, solumque timet non grata videri.
Nunc juvat ambages durosque revolvere casus,
postquam digna patent solacia. Laetior ipse est,
cum magno sibi constat amor. Sic Persea casto
Andromede complexa sinu, vix certa salutis,
dum pelagi meminit fremitum rictusque minaces
pistris, ad invicti retulit se vindicis ora :
forte etiam trepidis nequicquam exterrita somnis,
bracchia non ausa est caro substringere collo,
vincula adhuc scopulumque timens. Felicia corda
constantes ambo, pariles in amoribus ambo,
vos jam portus habet, nec vobis invidet ullus
hac quam vestra fides meruit mercede potiri.
At nos, per medium mare quos crudelibus austris
jactat Amor longeque jubet discedere littus,
incerti miseros quas tandem appellat ad oras,
si non hoc etiam nimium est, a foedere vestro
votorumque modum, fideique exempla petemus.

## EPITHALAMIUM PHILIPPI GUILIELMI NASSAVII, PRINCIPIS ARAUSIONENSIUM, ET HELIONORAE BORBONIAE.

S3_05

Quaesierat geminis aequales aestibus umbras,
fessus ut excuteret solisque suosque calores,
Nassavii ductor generis placidissimus, illum
jam nemorum exuviis plenum, jam terga levantem
venatoris equi, densis sub frondibus herbae
excipiunt. Juxta sonipes, innoxia juxta
tela, nec humano maculatum sanguine ferrum
fons illimis adest, tenues qui sparsus in imbres
mulcet humum, somnosque vocat, dum murmurat unda,
respondetque comis superimpendentibus arbor,
et tot veris aves. Illic et populus alno,
et platanis nubunt laurus, amplexaque vitis
gaudet amatores in se traxisse corymbos.
Ad recline caput regalia nomina, flores,
aggeribus fulsere suis crinemque jacentis
sponte rosae subeunt, et tempora laeta coronant.
Omina fausta tori. Tum sensim crebrior ore
spiritus in similes fragrans emittitur auras,

accepitque locus, quos non generavit, odores.
Quis, superis fuit iste sopor ? Vix contigit ullis
principibus tam vera quies : seu bella pavescunt,
seu cupiunt, hostis propior sedet intus, et atras
advolvit nubes ; tanto mens concita motu
fluctuat, et nullo mutatur cura sereno,
sed turbat fastique diem, visisque tenebras.
At non magnanimi confuderat ora Philippi
poena latens : suus ille sibi somnoque vacabat.
Talis Aricino nymphis conspectus in antro
Egeriae conjunx, cujus pax publica vultu
emicat, et clausi testatur limina Jani.
Talis et ipse pater ; sed tunc, cum nobilis obses
continuit tanto securos pignore Gallos,
tutaque finitimis dedit otia gentibus, ipse
pacis certa fides ; vel cum Gandavica primum
foedera, si Belgis nossetis parcere, Divi,
speratum tulerant finem civilibus armis.
Ergo ubi corporeae vires, sensusque relicti,
demisere animam, nec jam suus artubus usus,
quos vapor unus habet, mens in se tota recessit
purior, et magni meruit commercia caeli.
Namque illi multo spectanda in lumine fulsit
majestas immensa Deae, quam caerula velans
carbasus aetherio textus flammaverat auro :
quoque comae nodatur apex, non lectus in undis.
Sed caelo satus ignis erat, nec plebe petitus
siderea, sed qui fraternum praevius agmen
instruit, atque idem mutato nomine Solem
nunc fugitat, nunc ipse fugat. Mox talia fatur :
"Clara patris magni soboles, in maxima fati
munera, tot casus, et tot dilate per annos,
agnoscisne Deam ? Venio tibi numen avitum :
non quam Lemniacae damnavit fama catenae,
et Phrygium nemus et nimium venator Adonis,
attamen alma Venus. Nec tu me sanguine cretam,
aut pelago spumante putes : mihi patria Caelum,
et pater. Ipsi orbes illic, et vitrea templa,
quaeque manent bis sex, et quae septena vagantur
sidera, et in Borean quantum procul exit et Austrum
flammarum, pingitque feras, hominesque figurat,
me duce conspirant. Quin et gens corporis expers,
astriferae mentes, nostris sub legibus aevum
perpetuosque agitant motus, ac foedere junctae
pascuntur numeris, et amico carmine gaudent.
Ast homines, quamquam haud dubie caelestis origo
impulit erecto natales ore fateri,
multum artus et vincla gravant mensesque reducens
orbita, mortali spatio discrimen et astris,
suppositos premit, ac superis confinibus arcet.
Pauca manent generis vestigia : namque ubi primum
aetheriae pars ante animae delapsus ab alto
spiritus irrepsit membris, habitusque caducos
induit, haeret adhuc conspectae lucis imago,
et decor ille subit. Miseri bona perdita, tantum
ut quaerant, meminere. Velut, cum vespere sero

excipiunt fessos vada Calpetana jugales,
non totum tegit umbra jubar, tenuemque relinquit
admissa jam nocte diem. Vel vertice qualis
lapsus ab aerio totis fit gentibus amnis
limes, et imponit regnorum nomina ripis.
Mox ubi jam terris se discedentibus infert
Tethis, et invitant longinquas ostia classes,
servat adhuc a fonte notas et pressus amaris
fluctibus, agnosci tamen extra littora pugnat.
Haud aliter demersa Chao sincerior aura
scintillat. Pars magna hominum caligine caeca
fallitur, et pulchri mendacis imagine gaudet.
Felix qui densa radios sub nube sepultos,
me monstrante, videt : non illum informia regna
captivum traxere : faces non ille profanas
concipiens sontes in corpora misit amores.
Sed non degeneres animos et pectora caeli
hospita scrutatur, meliore Cupidinis oestro
percitus, inque illis patriam reminiscitur aethram.
Nec tantum chalybis molitur pondera, mundum
qui simulat lapis, et parili se cardine versat,
quantum cognata trahitur mens enthea mente,
ceu partem mirata sui. Placet arta subire
foedera, et impressis subter praecordia formis
permutare animas. Neque non et sexibus olim
diversis ea cura venit, flammasque ministrat.
Quippe ubi virgineo pellucens corpore virtus
indolis, ut liquido sub flumine purpureus flos,
praecipue tamen os tenerum et fulgentia signat
lumina, dulce viro, juvat illud et illa tueri :
sed magis ardorem species movet abdita, cujus
effigiem roseo meditatur gratia vultu.
Tum vero Cypriis etiam geniale pharetris
jus damus : accitur nil peccatura Dione.
Haec est, aetherio quae quondam animata calore
bis geminos molem priscam digessit in artus,
et terras pelago discrevit, et aere flammas,
conjugiis vinctura novis. Hinc plurima fetus
copia, dum pauper metuit Natura videri.
Haec et graminibus sese, et radicibus altis
largior indulget, vitamque in semina fundit.
In mutos abit inde greges, et cogit amare,
et similem ex simili generando quaerere prolem.
Celsior ex imo surgit gradus : ultima cura,
et mecum communis, homo, qui mente perennis,
aequaevusque polo, non idem cetera, mortis
legibus hanc etiam vellet subducere partem.
Ergo, ne, quicquid periit, periisset, et orbis
aetas una feret, quos vis interna ligabat,
horum etiam placidos quaerebant corpora nexus ;
nempe animos imitata duces. Hinc blanda sonare
oscula, et amplexu cupidi livere lacerti,
donec legitimis praelucens flammea taedis
sanctus Hymen festa velavit limina fronde.
Hic felix amor, haec merito mansura voluptas,
quam pia non uno stringit concordia nodo.

Quid tibi nunc thalamos laudem, quibus omnia debes,
te quoque ? Num referam, quoties excusserit iras
gentibus, et dextras jungens in foedus inermes
pronuba fax saevos tectis defenderit ignes :
aut male disjectos populos Hymenaeus in unum
traxerit imperium ? Cur nos externa morentur ?
Inspice Nassavium decus, annalesque tuorum,
ut genus a Lona veniens, et fontibus Istri
implerit geminum Rheni latus, unde profectum
longius Oceanum et vicinas despicit Alpes.
Tot bene pro meritis unum Fortuna jugalis
hoc poscit pretium, bene de te posse mereri.
At tu lentus adhuc, nec fratres cernis in hostem
ardere, et patrias armare in proelia leges,
magnae avidos famae, quam, proh, generisque, suique
immemores, vel morte petunt ! Tu primus ab ortu
sanguis, et haud frustra pacem cui fata dederunt ?
Progenie fraudabis avos, ut jura parentum
externus rapiat populorum caedibus haeres ?
Quin age, quaere toros. Nec te spes irrita ludet :
ipsa adero : tantum aude, animumque hoc omine firma.
Vallibus Elysiis vidi duo maxima bello
pectora, concordes etiam dum vita manebat,
exsultare duces : cognati hic ora ferebat
Caesaris, ille novem magnos in sanguine reges.
Ambo manus nectunt, ambo genialia figunt.
Serta comis, pulchramque nurum generumque loquuntur
alterni ; juvat in communia pignora binas
transfudisse domos. Sobolem virtutibus aequam
optat uterque sibi : tantum meliora paternis
tempora, jusque suum sine ferro posse tueri."
Sic ait, et vera percussit pectora cesto.
Textilis in cinctu jocus, et solventia curas
alloquia, et centum pariter risere lepores.
Tum, glauci quae forte sinus aurata gerebant,
principis in placidos fluxerunt lilia vultus.
Hic ubi fatidici perfusus imagine somni
exsiliit, repetit visus, auditaque narrat
saepe sibi, quaerens animo, quaenam illa superbis
tot virgo dotetur avis, quae gratia morum,
quis decor auspicibus mereatur nubere Divis,
nec, quid amet, novit, sed amat. Jam dulce mariti
nomen, et ante oculos series immensa nepotum.
Est locus, Allobrogum qua se subducere montes
incipiunt, laeto qua sidere Gallica tellus
detumet, et Latios meminit Provincia fasces ;
hic dites fecundat agros, non flumine primo,
majoremve senex frustra luctatus in amnem,
sed Rhodani jam totus Arar : illum eminus undae
exspectant Ligures, at qua se ripa recondit
interior, priscas insignis Arausio turres
erigit, emeritae sedes asscripta Secundae.
Aegri vulneribus, fessi sudoribus aevi
haec placuit merces. Illic quos struxerat arcus
clara triumphato Marii victoria Cimbro,
et cavea apparet Romanis plausa cothurnis.

Has nunc ille domos, haec ille invisere gestit
moenia, regnatamque diu majoribus urbem,
ut, quas multa furens circum turbarat Enyo,
restituat leges, et priscos afflet honores.
Dumque iter est illa, Francae decora omnia gentis
noscere fert animus, quorum clarissima mundi
regia sublimem variis se laudibus effert.
Te tamen ante alios fama monstrante requirit
inclute magnanimo juvenis generate Capeto,
virtutum species purissima, postque penates
sceptrigeros primum Gallis caput. Ecqua per orbem
ignorat regio quantum tibi cesserit aetas ?
Seu cum Maeonio praelusit carmine, seu cum
in rerum causas et inenarrabile totum
egit praecipites annos, pueroque videndam
se natura dedit, pectusque inscripsit honesto,
quod geminas tenui distinguit limite culpas.
Tunc etiam, cum tu latus ad regale ferocem
tundis equum, roseo perfusus lumine, qualem
Cyllarus attonitis equitem monstrabat Amyclis,
in te plebs omnis genitorem, et turba senilis
belligerum miratur avum. Tum forte meatus
scrutans aetherios, quo turbine maximus orbes
orbis agat, via quae stellas traduxerit ipsi
indeprensa Pharo, simul adventare Philippum
Borbonius vidit juvenis. Non astra morantur,
non polus : inceptae pereunt in pulvere formae.
Quas tum nobilibus permisti gaudia curis
sermonum coluere vices ! Cum quaereret alter,
quis situs Hesperiae, quo Sol stridere profundo
creditus et quo se Nereus molimine terris
inserat, avulsi faciunt ubi litora montes ;
cur Tagus haud ultra pretiosis effluat undis ;
aut quis nunc Rhenum Mavors tegat, iraque regni
divitis in magnum quanto ruat agmine fratrem :
ille autem prima narraret ab usque juventa
immeritos casus, ut belli et criminis insons,
Musarum gremio patriaeque abreptus Iberas
contigerit terras nequicquam jura fidemque
inclamans, quam deinde gravis custodia capto,
cum genitor motis natum jam quaereret armis.
Interea (namque e medio monet aethere Phoebus
instaurare dapes, et finem ponere fandi)
en pariter thalamo gressum Trimolia mater
et virgo Condaea ferunt. Stans inter utramque
laeta parens subolem tacito sua gaudia vultu
comparat, et simili metitur fratre sororem.
Sic ubi numinibus geminis sedet, annua Cynthi
sacra nec Aegaeo quaerendam visere Delon,
it media, et centum late fumantibus aris
ipsa uteri Latona sui miratur honores ;
hinc matrem Triviae vultus, hinc pulcher Apollo
divisere sibi : facie nec cernit in utra
plus Jovis, aut cujus laudet magis illa pharetras.
At simul augustae conspexit virginis ora
fulgentesque comas, arcanos concipit ignes

pectore Nassavius, somnique in imagine visam
sentit adesse Deam. Nec jam cessare tuendo
sufficit. Aspicitur totas super unica mensas
hoc contra magis illa oculos in matre pudicos
figit, et instantes metuit deprendere vultus,
sed dum cura subit, cur soli blandior hospes,
invitae rubuere genae. Coquit acrior usque
flamma virum ; ac spatiis si quando exclusus iniquis
vana sibi reddit notae simulacra figurae,
tum vero pallere simul, gemituque profundas
respirare faces quam nunc et Arausio longe,
et nemora, et faciles quacumque sub arbore somni ?
Nulla quies, nullus cordi labor : omnia turbat
unum mentis opus. Mediis quin saepe tenebris
pervigil, agnosco, clamat, redeuntia fata :
"En iterum captivus ego. Nec vincula possum
ista queri : procul Albanus, procul horrida bella.
Praeda quidem, sed sponte feror. Cur questibus aulam
infelix anime, et votis caelum omne movebas,
si servire potes ? Libertatisne reductae
paenitet ? An tanti est Hispani perdere munus ?
O miser, et quando tandem meus ? En erit umquam
ut videat nostros leviter miserata dolores
illa, nec egregiae fallax dementia formae ?"
Haec secum : mora nulla, petat quin rursus amatum
limen, et exoptet flamma propiore peruri ;
saepe rogans fratrem supplex, maternaque saepe
pectora sollicitans dextramque amplexus utramque ;
ipsi quin etiam, licet haud inconscia multum
dissimulet, vellet tantos facundior ignes
promere, sed jussae nequeunt procedere voces,
plusque tacens loquitur. Jam mollior illa rogari ;
et placuisse placet : sed jura potissima Regi
cognatae in thalamos ; Regis tentanda voluntas.
Aggressus, (nam cogit amor, prohibetque vereri)
"Salve, ait, o non jam fato mutabilis ullo
imperii bis facte parens, dum Marte tueris,
et dum pace foves : debes nam fortibus armis
tu patriam, seque illa tibi ; tantumque gubernas
quantum dextra dedit, cinctus victrice corona
ante decus Regale comas. Hoc respice vultu
meme, oro, quo tot quondam subsidere gentes
vidisti bello domitas, nimiumque beatos
te capiente duces, cui, quisquis poneret arma,
civis erat. Miserere, tua est haec propria virtus.
Vitam equidem veniamque rogo : non arma secutus
hostica, nec Salias ausus contemnere leges ;
sed miserum quem fecit amor. Non parva, fatebor,
dona peto, nostros ne dedignetur adire
Helionora toros Lodoici sancta propago.
Nec vilis tamen, aut generosi sanguinis exsors
foedera tanta precor. Tu fortibus annue coeptis ;
Gallia sic toto mansuram corpore pacem
accipiat, moresque tuos : sic arma pavescant
extera, civiles concordia comprimat enses ;
sic faciles Mariae partus Lucina paterna

majestate notet : sceptri sic duplicis haeres
gaudenti similes magna de matre nepotes
ostentet, serusque tuas transsumat habenas."
Rector at haec contra : "Bene te sperare jubebant,
et tua quantumvis virtus meritura favorem" ;
et pater : "Hunc olim vidi laetatus amicum,
et nunc agnovi subito frontemque verendam,
oraque." Talis erat. Quam non alienus ab illo
tempore Nassaviis, scit gens animosa Batavi,
Mauritiusque tuus, scit quem Colignia mater
edidit, ingentes juvenis qui surgit in actus,
fraternas agitans hostili in pulvere turmas.
Cur tibi non eadem fiducia ? Sed quid amantem
demoror ? En dabitur. Domus haud incognita nobis
quam miscere paras. Generum Trimolia sumat
gens, habet unde nurum. Titulos namque inter avitos,
Bosphorium juxta diadema, et sceptra canorae
Parthenopes, regnumque Paphi Cabilonia fulgent
stemmata Sequanicis longe ditissima terris.
Hinc dominae genus : hinc vestri stirps alta Renati.
Tangit et iste meos sanguis : multumque beata
dat tibi Borbonidas genitoris taeda sorores,
unde fluunt Galli proceres, Germania magnos
exspectat nunc unde duces. Nil segnior illo
tu quoque, Condaeos atavis inferre nepotes
Nassaviis, nostras frenet qui legibus urbes,
sis memor, et geminos partu fundare penates.
Quam tibi tum laeto trepidarint excita motu
pectora ; quisque tibi, voto properante marito,
dictos stare dies felix incluserit unus,
absciderítque moras, cum summa minorque potestas
ad pompam venere tuam, magnumque potentis
concilium regni mensae videre jugales ?
Quae nox illa tibi, curis quae praemia lectus
solverit ; Aoniis cantabit Gallia dives
ingeniis, seu cui major persuaserit aestus
heroas animare tubas seu dulce Thaliam
exercere jocis, et molles figere lusus.
Nec fas interea resides tacuisse Batavos :
namque, ut praeteream patris fratrisque labores,
per quos parta salus, legesque, et libera jura,
et patria, et quantum Batavi sumus : hic tua Breda
Nassavias ostentat opes : hic serpit inerti
Linga vado, lambitque tuos minor Isala campos,
mentitusque amnem fraudato Lecca parente :
maternas ubi casta tuo sub nomine terras
et populos germana regens, multum anxia, ne te
invideat Rhodanus nobis, tamen urbibus ora
spondet heri, dominisque parat nascentibus aulam.

## IN DISCESSUM FILIAE REGIS BRITANNIARUM, NUPTAE PRINCIPI PALATINO.

S3_06

Formosae Tamesi rigator orae,
tu dic Oceano, quod ille narret
jactanti Batavum tropaea Rheno,

ut Rheno sibi nuntiante gaudens
majores Nicer aemuletur amnes :
dic, cum solvere jam ratis pararet
abreptura decus Britanniarum,
regnorum proceres, piamque plebem,
nullo non lacrimis madente vultu
expressisse gravem doloris aestum.
Sed tot millibus una causa flendi
fleri se vetat ipsa, nec flet ipsa.
Certe cum patriam, suumque patrem,
cum matrem videt, unicumque fratrem,
toto nomina separanda ponto,
arcanum gemit : ut tamen reflexis
cernit luminibus suos amores,
conturbata prius serenat ora.
At magnus pater : "I, Deo juvante,
i, dixit, mihi non neganda proles.
Te Germania norit, et Britannos
ex te judicet aestimetque mores :
Scotorum genus, Anglicique sceptri,
maternis etiam superba Cimbris ;
ad dulcis gremium feres mariti
Boio ex sanguine Caesarum nepotes.
At tu, spes bona Teutonum tuorum,
fer tecum gener hanc : avisque dignas
et dignas soceris capesse curas ;
et quantum fuerit satis, memento :
Regum vota tibi dedisse regem.

HELENAE EPITALAMION,EX THEOCRITO LATINE REDDITUM,
UT VERSUS VERSUI RESPONDEAT.

S3_07 Sic apud Ochalidas, et flavicomum Menelaum,
crinibus aptantes hyacinthi serta puellae
ante novum laetas thalamum duxere choreas,
bissenae numero Spartanae gloria pubis,
cum minor Atrides, Helenae post grata cupitae
foedera, sopitus sera sub nocte jaceret.
Sic pariter junctae pedibus per mutua nexis
applausere modis, quos omnis reddidit aula.
Stertere sic igitur soltum tibi mollis amator ?
An quis es infirmis genibus nimis, inque soporem
lubricus ? An somno pariter vinoque sepultus ?
Si libuit dormire, prius dormire licebat.
At cum virginibus, cum cara matre, puella
luderet in lucem : namque es tibi propria conjunx ;
totque dies mensesque tibi servatur, et annos.
Sponse, tibi quis in hanc venienti sternuit urbem,
totque inter proceres felix dedit omen amoris ?
Unus semideum poteris gener esse Tonanti :
una nata Jovis tecum sub veste tegetur.
Qualis nulla nurus inter spatiatur Achivas.
Pignora magna dabit, referent si pignora matrem.
Namque eadem nobis aetas, et more virili
cursus ad Eurotan unctis fuit omnibus idem :

viginti novies sumus aevi flore puellae,
nec tamen est, Helenae, quae sese conferat, ulla.
Ut micat orta dies Aurorae lumine puro
post tenebras, ut ver tepidum post frigora brumae,
aurea non aliter nos inter Tyndaris exstat,
pinguior, et major. Seges in flaventibus arvis,
Thessalus in curru sonipes, cupressus in hortis,
Tyndaris in tota Lacedaemone pulchra renides.
Nulla potest qualo tantos variare labores :
nulla puellarum radio subtemina ducit
doctior ordiri stantes tibicine telas.
Nulla fidis pulsu melius Latoida cantat,
pectoris aut multa mirandam mole Minervam,
quam tua, quae cunctos oculis includit amores.
Dulcis at o virgo, tu jam matrona vocaris :
nos, ubi mane novum, procul in viridantia prata
ibimus, et carpemus olentes suave corollas,
multa tui memores, Helene, ceu mollibus agnis
ubera lanigerae sitiuntur turgida matris ;
nos nascentis humi, nos primae, vincula loti
nexa tibi gelida platani ponemus in umbra.
Nos ex argento primae tibi flumen odoris,
nos tibi sub gelida platani libabimus umbra :
unde legi possint, cortex tua scriptus habebit
nomina : "Me venerare : Helenae sum nobilis arbor."
Gaudete, o felix socero gener, et bona conjunx.
Det Latona, precor, Latona puerpera vobis
det sobolem ; Cypris pariles, Dea Cypris, amores ;
Juppiter aeternas det opes, det Juppiter, olim
nobilitas seros ut ditet avita nepotes.
Alter in alterius spirantes pectus amorem
dormite, et memores mox surgite lucis Eoae ;
nos quoque mane redimus, ubi cervice comata
lucis avis primae surgendi signa sonarit.
Hymen o Hymenaee favens hoc foedere gaude.

## OARYSTYS, EX EODEM THEOCRITO.
### **D**APHNIS, **N**YMPHA.

D.

S3_08

Pastor et ipse Helenam rapuit Paris : alter ab illo
huic ego nunc Helenae merui plus pastor amari.

N.

Ne placeas, Satyrisce, tibi : nihil oscula prosunt.

D.

Oscula nil prosunt : sed in his quoque magna voluptas.

N.

Os quoque detergo : ne sola vel oscula restent.

D.

6 Os quoque detergis ? Da rursus, ut oscula sumas.

N.

7 Oscula virginibus cessa dare : quaere juventas.

D.

8 Ne nimium : pereunt ut somnia, sic perit aetas.

N.

9 Uva manet, sit passa licet : rosa marcida durat.

D.

10 His oleis succede tamen, quodque expedit audi.

N.

11 Non libet : antiquas sermonum novimus artes.

D.

12 Hac tibi silvestris cantabit avena sub ulmo.

N.

13 Me nihil ista juvant : te, si liber, affice cantu.

D.

14 Irritas Venerem, virgo : vindicta parata est.

N.

15 Alma Venus valeat : faveat modo Delia nobis.

D.

16 Parcius : injiciet captae tibi Cypria casses.

N.

17 Ut libet, injiciat ; dum rursus Delia solvat.
18 Labra tibi pungam, nisi jam manus improba cesset.

D.

19 Non tamen effugies, quem nulla effugit, amorem.

N.

20 Effugiam per Pana meum. Quo, perfide, tendis ?

D.

21 Pejori vereor ne sis nuptura marito.

N.

22 Multi me petiere proci, sed nemo placebat.

D.

23 Unus ego e multis tuus huc, pulcherrima, veni.

N.

24 Et quid agam, si sunt connubia plena dolorum ?

D.

25 Non mala, non luctus ; solas fert taeda choreas.

N.

26 Fama refert nuptis metuendos esse maritos.

D.

27 Verius est parere viros : quem nupta timeret ?

N.

28 Horriferos partus, Lucinae tela, tremisco !

D.

29 Haec eadem partus, quae vos quoque, Delia curat.

N.

30 Forma puerperio, meus est timor iste, peribit.

D.

31 Si paries, paries dulces, nova gaudia, natos.

N.

32 Si volo, quae thalamis das dona jugalia nostris ?

D.

33 Ista tibi, saltumque, gregemque et pascua dono.

N.

34 Jura igitur, ne me viduam post foedera linquas.

D.

35 Non equidem, per Pana meum, licet ipsa fugares.

N.

36 Ergo mihi thalamos struis, et struis atria, et aedes ?

D.

37 Et thalami fient, et grex tibi pascitur iste.

N.

38 Ast ego, quae referam seniori verba parenti ?

D.

39 Audiat ipse meum fac nomen, et ipse probabit.

N.

40 Dic igitur : nam saepe juvat quoque nomen amantes.

D.

41 Daphnis ego. Lycida natus patre, matre Nomaea.

N.

42 Non tibi sum dispar tam clara gente creato.

D.

43 Nec certe praelata : pater tibi namque Menalcas.

N.

44 Duc age me ad saltus, et textas vimine caulas.

D.

45 Cerne meas primo vernantes flore cupressus.

N.

46 Ite : boves, dominumque boum sequor : ite capellae.

D.

47 Dum nemus hoc monstro dominae, vos pascite tauri.

N.

48 Quid facis hic intus Satyrisce, quid ubera palpas ?

D.

49 Has juvat albentes primum tetigisse papillas.

N.

50 Obtestor per Pana : manum jam tolle : fatisco.

D.

51 Parce metu mea vita, nimis formidine peccas.

M.

52 Quid me agis in foveam ? Niveos foedabis amictus.

D.

53 Sed paro molle tuis vellus subtexere peplis.

N.

54 Ergo (quis hic furor est ?) etiam mihi cingula fovis ?

D.

55 Hoc Paphiam primo placabo munere divam.

N.

56 Desine : nescio quis venit huc : sonus attigit aures.

D.

57 Cypressus aliis aliae tua foedera narrant.

N.

58 En etiam pallam laceras : ego nuda relinquor.

D.

59 A me palla tibi donabitur altera major.

N.

60 Omnia promittis, nec tantum forte daturus.

D.

61 O possem si cuncta, vel hanc impendere vitam !

N.

Parce, precor, Diana ; fidem tibi dicta fefelli.

D.

Et bove nos Veneri, et vitula faciemus Amori.

N.

Femina facta lares repeto quos virgo reliqui.

D.

Femina, sed mater. Nec, ut ante, puella, sed altrix.

Sic hilares illi, sic carmina laeta susurro
furtivos suadente toros alterna canebant :
altera dum surgens pecudes pastura relictas,
quamvis pectore laeta pudentibus iret ocellis ;
et laetus thalamis, armenta reviseret alter.